



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Liber Octavus De origine Jurisdictionis Ecclesiasticae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBER OCTAVUS

De origine Jurisdictionis Ecclesiasticae.

I. **Q**uemadmodum Illustrissimi Antistites Gallicani quæstiones gravissimas, ac solitas excitarunt, easque contra sanctam Sedem præjudicarunt, eo, quantum ex temporis circumstantia conjicere licet, sine, ut summum Pontificem à proferendo circa Regaliæ controversiam judicio deterrent; aut, si quod pronunciaret, minoris videretur esse autoritatis; ita & ipsi, & qui eorum partibus favent, jurisdictionem Episcoporum extollere satagunt; ut depressâ illinc dignitate sanctæ Sedis, elatâ hinc Episcoporum potestate, minoris culpæ videatur contemptus, sive neglectus Decretorum Papæ, libertatem Ecclesiarum Gallicanarum tuentis. Idcirco inculcatur frequenter Jurisdictionem Episcoporum ita esse de Jure Divino, ut eam à sancta Sede neutiquam accipiant.

II. Satius esset ut omissis hujus contentionebus, inter caput, & membra is vigeret consensus, quem sanitas corporis postulat, ne scissuræ fierent, quæ nunquam sine periculo, imò nunquam

quam sine damno contingunt. Sed metuunt fortassis Præsules, ne, si suam jurisdictionem à summo Pontifice recognoscant, nimis Episcopalis auctoritas vilescat: verùm nonne tantundem metuendum est, ne Papæ mandata pro Ecclesiæ utilitate contemnantur ab Episcopis, si suam jurisdictionem, non secus ac ipse suam, à Deo immediatè se obtinere arbitrentur? Jure Divino Romanus Pontifex in alios Episcopos Primatum etiam jurisdictionis habet; satis hoc est, ut justa ejus præcepta non possint ab eis absque culpâ detrectari, aut negligi. Data est illi hæc potestas in ædificationem, non in destructionem; sufficit hoc, ut nonnisi justa, & possibilia præcipiat. Supprimendæ fuerant aliæ contentiones.

III. Verùm tamen quoniam ex origine jurisdictionis, pendere quodammodo creditur, & vis præcipiendi, & obligatio parendi, juvat hic eam paulò diligentius investigare.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Jurisdictio Ecclesiastica.

1. **I**N communi quidem Jurisdictio auctoritatem quandam significat, vel in personas, vel in res, ut rectè, justèque ordinentur; Jurisdictio autem Ecclesiastica dicitur Jus illud, quod pænes Ecclesiasticos Pastores est, ut & Christiani Homines, & res Deo consecratæ, ad Dei cultum, & Religionis exercitia ritè disponantur.

O o o ,

2. Ut

2. Ut ista Jurisdictionis descriptio magis elucidetur, & quid in controversiam veniat, unusquisque facile possit agnoscere, animadvertere juvat, in Ecclesie Ministro quinque distingui; Primò characterem, cum potestate in eo fundata offerendi Sacrificii, aut aliqua munia circa illud obeundi; Extremam unctionem, & si Episcopus ordinetur, Confirmationem etiam & Ordinem conferendi. Secundò potestatem ligandi, & solvendi in foro interno, idest peccata audiendi, convenientes pro eis satisfactiones injungendi, & remittendi, vel, si opus sit, retinendi, & hoc quidem indefinite, hoc est non assignatis personis, in quas debeat, aut possit potestas illa exerceri. Tertio determinationem illius potestatis ad certas personas, quæ illi potestati subjiciuntur. Quartò potestatem ligandi & solvendi in foro externo, idest in ordine ad Ecclesiam, & communitatem, Leges ferendo, ad earum observationem obligando, ab iis dispensando, Censuras ferendo, ab iis absolvendo, aliisque præstando, ad externum fidelium regimen necessaria. Quintò potestatem etiam in hac potestate, quæ forum externum respicit, considerari ordo ad subditos determinatos; quamvis ille ordo sive subditorum assignatio, vix ab ipsius potestatis collatione sejungatur.

3. Character imprimitur, & potestas circa Sacrificium communicatur in receptione Sacramenti Ordinis, in quo, quia non solum circa Christi corpus naturale, sed etiam circa mysticum operandi datur facultas, cum Spiritus sanctus accipitur, obtinetur potestas retinendi & remittendi peccata: sed quia nullius momenti est ea sententia, quæ profertur in non subditum, si tempore Ordinationis non supponatur ordinato plebs aliqua, sibi collatâ uti non poterit facultate, donec Diœcesi, Parochiæ, aut aliquibus fidelibus præfectus fuerit.

4. De duobus primis, scilicet de potestate offerendi Sacrificii, & potestate solvendi, vel ligandi sine ordine ad aliquos subditos, vix aliqua nascitur difficultas. Licet enim possit Episcopus ordinare Clericos, vel ab eorum ordinatione abstinere, licentiam sacrificandi, vel concedere, vel negare; tamen ubi quis semel ordinatus fuerit, character ut-
potè

potè indelebili, nunquam spoliari poterit, adeoque, quamvis licitè iustum superioris mandatum circa celebrandam Missam transgredi non possit; tamen si transgrediatur, verè sacrificium conficiet, etiam invito superiore. Usu quoque solvendi vel ligandi carebit, sed non potestate illa, quasi aptitudinali, quippè cùm, ut diximus utriusque fundamentum sit character, quem semel à Deo impressum nullus mortalium possit delere. Circa jurisdictionem in foro externo maximè, vel etiam in foro interno, quoad usum, & applicationem, est controversia; de qua in proximè sequentibus capitibus.

5. Sed in ipso limine gravissima occurrit difficultas; cur scilicet potestas jurisdictionis necessaria sit, ultra potestatem Ordinis, quatenus ista refertur ad Corpus Christi mysticum. Etenim cùm ordinatur Sacerdos, non solum traditur ei potestas conficiendi verum Christi Corpus, sed etiam sanctificandi ejus corpus mysticum, idest fideles, per absolutionem à peccatis, ut patet ex ordinationis forma. Cujus igitur rei Sacerdos indiget ad absolvendum à peccatis, postquam ad dandam illam absolutionem Spiritum sanctum tempore ordinationis accepit: Cùm hæc verba; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt,* quæ Sacerdotibus, dum ordinantur, ab Episcopo dicuntur, illa ipsa sint, quæ Christus protulit, cùm Apostolos Sacramenti pœnitentiæ Ministros constituit: Cur modò minoris erunt, quàm tunc, efficaciam? Cur sicut tunc Apostoli absque nova facultate poterant à peccatis absolvere quoslibet fideles, non poterunt etiam modò Presbyteri?

6. Nemini quidem fideli dubitare licet, quin præter potestatem Ordinis requiratur adhuc alia, scilicet Jurisdictionis, ut qui jam Sacerdos ordinatus est, peccata validè remittat. Id enim definitum est à duobus Conciliis Oecumenicis, Florentino scilicet, & Tridentino. Declarat Concilium Florentinum in Decreto unionis Armenorum, quod *Minister hujus Sacramenti (pœnitentiæ scilicet) est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris.*

7. Clariùs illam distinctionem expressit Concilium Trident. sess. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 7. *Quoniam igitur natura, & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur,*

476 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
persuasum semper in Ecclesia Dei fuit; & verissimum esse Synodus hæc confir-
mat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum pro-
fert, in quem ORDINARIAM, AVT SVBDELEGATAM non habet iuri-
sdictionem. Constat igitur, quod *quavis*, ut inquit idem Con-
cilium sess. 23. de Reform. cap. 15. Presbyteri in sua ordinatione à
peccatis absolvendi potestatem accipiant, eâ tamen uti non possunt etiam
validè, nisi eis subiciantur fideles, quod idem de aliis ju-
risdictionis partibus dicendum est.

8. Quomodo autem illa Jurisdictionis potestas à potestate
Ordinis differat, non ita facilè explicatur. Deus quidem po-
testatem solvendi, & ligandi per se immediatè confert omni-
bus Episcopis & Presbyteris. Ad ipsum enim solum pertinet
remittendarum injuriarum in se commissarum facultatem
concedere. Sed quia hoc debet fieri per modum judicii: ju-
dicium autem à superiore in subditos ferendum est; non po-
test facultas illa solvendi ac ligandi in usum reduci, nisi ab
eo qui subditos habeat. Quæ Prælatio seu subditorum affig-
natio, Jurisdictio dicitur. Quamvis autem omnibus Presby-
teris in ordinatione dicatur; *Accipite Spiritum Sanctum; quorum re-
miseritis peccata remittantur eis, &c.* Solis tamen Apostolis antea
dictum est à Christo; *sicut misit me Pater & ego misit vos*, quibus
verbis secundùm probabiliorem sententiam jurisdictionem,
& quidem amplissimam illis contulit, cæteris autem, qui-
bus illa missio in ordinatione non datur, præter Ordinem ne-
cessaria est alia potestas, quæ dicitur Jurisdictio. Discrimen
inter potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis alii ali-
ter exponunt; Omnes tamen, quod ad propositum nostrum
fatis est, consentiunt illas distinctas esse, utramque ad va-
lidam Sacramenti administrationem, saltem extra casum mor-
tis requiri, neutram seorsim sufficere; atque Jurisdictionis
eam esse vim, ut potestas absolvendi à peccatis in ordina-
tione accepta, validè possit exerceri circa plebem, aut per-
sonas aliquas determinatas, circa quas nullum esset alioquin
ejus exercitium. Videri potest Suarez de pœnit. disput. 16.
sect. 3.

9. Præcipuus hujus libri scopus est Jurisdictionis causam
inquirere: & de primaria quidem atque originaria, non est
ambigendi locus. Certum enim est, ut jam innuimus, illam
Christo

Christo acceptam referri debere, qui ait Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes;* & Joan. 20. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, &c.* De proxima verò Jurisdictionis causa non ita constat. Summum quidem Pontificem à Deo ipso suam jurisdictionem habere, non autem ab Ecclesia, soli Hæretici negant, quamvis ejus exercitium, seu usum Ecclesiæ dispositioni nonnulli Catholici, quos secuti sunt nuper Illustrissimi Antistites Gallicani, subesse contendant. De iis è contra, qui jurisdictione tantum delegatâ præditi sunt, vulgata Theologorum, & Jurisperitorum doctrina est, eos à suis delegantibus potestatem mutuari. Difficultas igitur tantum est de jurisdictione ordinaria cæterorum Prælatorum, utrum à Deo sit immediatè; an autem ab eo, qui Titulum, Beneficium, seu Dignitatem, cui annexa est, confert.

C A P U T I I.

De distinctione, ac distributione Dignitatum Ecclesiasticarum.

1. **A** Scensurus in Cælum Christus prædicare, baptizare, & docere per universum mundum omnibus Apostolis præcepit his verbis Matt. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Verum quamvis quilibet Apostolus posset in qualibet mundi parte ea omnia efficere: tamen ex communi consensu, & ex Sancti Spiritus instinctu dividerunt sibi orbis terrarum Provincias, ac in quam quisque profecturus esset, decreverunt, ut sic ordo servaretur, & facilius adimpleretur Psalmistæ vaticinium. *In omnem terram exivit sinus eorum, & in fines orbis terra verba eorum Psal. 18.*
2. Joannes Gersonius ita factam suspicatur inter ipsos etiam Apostolos divisionem, ut non posset quilibet in quemlibet Provinciâ suâ potestate, sed tantum in assignatam sibi quisque Provinciam, ut jam tunc Monarchicum regimen exerceret.

Et fortè, inquit Gerfonius de potestate Ecclesiastica confid. q. quoad usum, vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ sic evenit ipsis etiam Apostolis, & Discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque scilicet potestatis, & usus, factam à Christo, postmodum crescente numero fidelium, fuit ad tollendum schisma, & ad exemplar dandum Posteris. Limitatio facta talis potestatis quoad usum, & hoc per Petrum summum Pontificem de consensu totius Ecclesiæ primitivæ, vel generalis Concilii, ut non quilibet possit in quemlibet uti potestate sua, attentâ Christi ordinatione primaria, quæ videt Ecclesiæ suam regi principaliter SVB VNO, ET AB VNO MONARCHA, sicut est una fides, unum Baptisma, & una Ecclesiæ unitate capituli tam primarii, quam Vicarii, quoniam iste est optimus Principatus perfectus in spiritualibus ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes. Non tamen adeò scrupulosè observata videtur ab ipsis Apostolis illa Provinciarum distinctio, ut si qua sese offerret occasio, non susciperetur ab uno cura illorum, qui videbantur ad alterum pertinere, dummodò nulla hinc oriretur perturbatio. Itaque Paulus postmodum convertendis præcipuè Gentibus destinatus, circa Judæos plurimum laboravit, similiter & Petrus, qui Judæorum peculiarem sibi curam assumpsit, prædicavit etiam Gentibus, atque apud eas Primatus sui cathedram constituit.

3. Quoniam autem Apostolis nec ubique adesse, nec semper vivere datum fuerat, necesse fuit, ut potestatem suam cum aliis communicarent, qui Apostolica munia, defunctis illis, aut absentibus, obirent: *hujus rei gratia*, inquit Paulus ad Tit. 1. *Reliqui te Crete ut ea quæ defunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Sed quæ in Apostolis plenissima, & unita fuit, inter alios est divisa pro Apostolorum arbitrio, à quibus alii uni tantum Civitati præpositi sunt, alii pluribus: alii plebi tantum, alii etiam Pastoribus; unde orta creditur Patriarcharum, Exarchorum, Primatum, Metropolitanorum, & Episcoporum varietas: Quæ eò pertinet; ut ordinatè cuncta in Ecclesiâ gerantur, quemadmodum de divisione inter Apostolos ipsos factâ notavit Gerfonius.

4. Limitatam ab Apostolis Episcoporum Jurisdictionem fuisse, colligunt ex illis B. Pauli ad Titum verbis, S. Joannes Chrysostronus, ejusque interpretationum sectator Theophylactus;

latus; ista sunt S. Chrysoctomi verba Homil. 2. in Epist. ad Titum; Et constitueres, inquit, per Civitates Presbyteros. Episcopus hic intelligi vult, quemadmodum alias sapius diximus: Ut ego tibi constitui, siquis est sine crimine. Per civitates, inquit. Neque enim profecto volebat Instalam totam uni viro permitti; SED VNICVIQVE PROPRIAM CVRAM, AC SOLICITVDINEM INDICI.

5. Mirabilem illum variorum graduum Ecclesiasticorum ordinem elegantissimè describit S. Leo Epist. 84. cap. ult. Epist. Dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam, & inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quadam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret, de qua forma Episcoporum orta est distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susceperent amplioem, per quos ADVNAM PETRI SEDEM VNIVERSALIS ECCLESIAE CVRA CONFLVERET, & nihil usquam à suo capite disideret.

6. Epistola verò 89. docet non solum Ecclesiae curam per varios gradus ad B. Petrum tanquam ad Caput reduci: sed & ab illo capite per Dei dona in omne corpus Ecclesiae manare; huius, inquit, muneris Sacramentum ita Deus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut IN BEATISSIMO PETRO APOSTOLO RVM OMNIUM SVMMO PRINCIPALITER COLLOCARIT: & ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare: ut exortem se mysterii intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Locum hunc clarè interpretatus videtur Mauclerus 2. p. lib. 2. cap. 15. S. Petrus à Christo Domino tanquam Vicarius ejus, ac princeps totius Ecclesiastici cœtus, & orbis solus potestatis iuridicae claves accepit, ut in persona totius Ecclesiae, idest omnium Pastorum, & Prælatorum Ecclesiasticorum, ut quicquid iurisdictionis Ecclesiastica à quocumque Pastore exerceretur, id totum S. Petro Supremo Ecclesiae Principi, ac visibili capiti acceptum referretur, ab ejusque autoritate in totum corpus Christi Domini, quod est Ecclesia, visibile diffunderetur. Vide S. Bonaventuram cap. 12. referendum.

7. Non exstant quidem antiqua monumenta, quibus doceamur quonam tempore, aut quonam modo fuerit facta prima distributio Dioceseon, ac Provinciarum Operariis Evangelicis, qui convertendis ad fidem, aut jam conversis plebi-

480 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
bus præfecti sunt. Ordinem tamen à B. Petro observatum
cum fuisse, quem secuti sunt ejus Successores, vel illi simili-
mum prudens quisque sibi facile suadebit. Eximium ejus exstat
exemplum in lib. 12. epist. 15. S. Gregorii Magni, qui col-
lapsam in Anglia Religionem, cum per S. Augustinum illuc
missum restituisset, regendi Populi fidelis formam præscrip-
sit, & varia officia instituens, unicuique suam contulit au-
toritatem, ut scilicet S. Augustinus cæteris omnibus præset;
Archiepiscopus Londoniensis duodecim sub se haberet Epif-
copos; Episcopus Eboracensis totidem, si modò tum ab illa ci-
vitate, tum à circumvicinis fides susceperetur, ac numerum
illum Prælatorum, numerus fidelium exigeret. Nec præsentem
tantum necessitati occurrit, sed & futurum regimen disposuit,
puta Londoniensem Archiepiscopum à Synodo propria con-
secrandum, Eboracensem Londoniensi non cessurum, sed
priorem fore qui prius fuisset ordinatus; communi utrius-
que consilio generalia illius Christianitatis negotia gerenda.
Ut autem nunquam non meminissent à quo fonte profluxis-
set illorum autoritas, voluit, ut uterque à Sede Apostolica
pallium acciperet.

8. Aliud habetur exemplum in Capitulari Gregorii II. art.
3. ubi Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, &c. in
Bavariam missis ita præcipit; *Ut consideratis locorum spatii, juxta
vehementem uniuscujusque Ducis Episcopia dispenati, & subjacentia singu-
lis Sedibus terminetis. Et si tres, aut quatuor vel majoris numeri vise fuerint
constituta Sedes, reservato præcipua Sedis loco pro Archiepiscopo residente,
adhibito trium Episcoporum conventu, probabile fide, ac boni testimonii, &
eruditos sana doctrina viros ordinetis Antistites EX AVTORITATE B. PE-
TRI APOSTOLI, & in subsequenti vigoris tradita dispensatione locis eis
traditis collocantes.*

CAPUT III.

Dignitatem & auctoritatem Ecclesiarum Patriarchalium à B. Petro vel ejus successoribus ortam esse.

1. Christum, antequam ex hoc mundo proficisceretur, nullam Parochiarum, Diœceson, Provinciarum, Exarchatum, vel Patriarchatum distinctionem constituisse, ex tota Evangelii serie colligitur, præsertim ex verbis illis, quæ in Cœlum profecturus ad Apostolos habuit Matt. ult. *Euntes docete omnes gentes*, quæ indistinctam, & illimitatam missionem continent; licet fortè Apostolis formam præscripserit, juxta quam disponendi essent Pastorum gradus & officia, quò cuncta suavius administrarentur, & utiliùs, effectque Ecclesia hostibus suis *terribilis ut Castrorum acies ordinata*. Amplissima erat potestas omnium Apostolorum, prout exigebat primo illo tempore rerum status, cum nimirum non tam regenda, quàm efformanda erat Ecclesia. Tunc enim dispergendi erant per totum orbem Pastores, qui oves undique ad Christi caulam adducerent; Piscatores, qui collectis undique piscibus, Ecclesiæ sagemam implerent; Venatores, qui ubique venantes viventem prædam in domum Dei reportarent.

2. Verùm cum maxima exstitit fidelium copia, constituenda fuit totius regiminis Ecclesiastici forma. Quamobrem sicut in exercitu Imperator seu Dux unicuique Officiali præsertim primario suas partes, suumque munus assignat, imò & dignitatem tribuit, nisi jam id à Principe præstitum fuerit: ita B. Petrus, quem suum in terris Vicarium, & supremum omnium fidelium Pastorem Christus creaverat, varias Dignitates Ecclesiasticas, & officia instituit, secundum formam à Christo acceptam, vel à Spiritu sancto suggestam, ultra ea quæ per se Salvator ipse ordinaverat.

3. Itaque Sedem suam in Ecclesia Romana desigens, eam cæterarum omnium Matrem, ac Magistram esse voluit, eique ultra reliquarum communem sollicitudinem specialem re-

P p p ser-

seruavit Occidentalium curam. Alexandrinam & Antiochenam, ad Patriarchalem Dignitatem exiit, plurimarum eius Provinciarum præfecturam committens. Est ergo, inquit Gelasius I. in Concilio Romano anno 494. prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid epistolici modi. Secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius Discipulo & Evangelista consecrata est, ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis predicavit & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia verò sedes apud Antiochiam eiusdem Beatissimi Petri nomine habetur honorabilis, eò quod illic, priusquam Romanam venisset, habitavit, & illic primum nomen novella gentis exortum est. Baronius, & alii putant hæc ad verbum desumpta ex alio antiquiori Concilio habito sub Damaso anno 382. Similia etiam habet Nicolaus I. in responsi. ad consulta Bulgarorum cap. 92.

4. Harum Ecclesiarum fundationem, & exaltationem S. Petro luculentius adscribit S. Gregorius lib. 6. epist. 37. quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; Quis enim, inquit, nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: TIBI DABO CLAVES REGNI COELORVM: cui rursus dicitur: ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TVOS: Iterumque, Simon Joannis amas me? PASCE OVES MEAS. Itaque, cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu SOLA APOSTOLORVM PRINCIPIS SEDES in autoritatem conuulsa. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & presentem vitam finire dignatus est. IPSE DECORAVIT SEDEM, IN QVA EVANGELISTAM DISCIPVLVM MISIT. IPSE FIRMAVIT SEDEM, IN QVA SEPTEM ANNIS QVAMVIS DISCESSVRVS SEDIT.

5. Licet autem majorum Urbium Episcopis sæpè in plures alios tributa sit autoritas, quia commodior erat ad illos recursum, ob frequentia negotia, quæ illuc ex circumjacentibus Provinciis Præsules evocabant: tamen non à civili Urbium excellentia, sed à S. Petri autoritate præstantiam suam consecutas esse illas Ecclesias affirmat sanctus Innocentius I. Epistola 18. quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochenam cap. 1. ubi de Antiochena Ecclesia loquens; Advertimus, inquit, non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima Primi Apostoli Sedes esse monstratur, ubi & nomen accepit Religio Christiana.

Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæ, ut his Romæ Sedem non cederet, nisi, quod illa in transitu meruit, SUSCEPTVM ISTA APVD SE, CONSUMMATVMQVE GAUDERET.

6. Ridet S. Gelasius primus Epist. 13. quæ est ad Episcopos Dardaniæ, illos, qui Ecclesiarum prærogativam ab urbium politica dignitate repetunt; Risimus autem, quod prærogativam volunt acacio comparari, quia Episcopus fuerit regis Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquid-nam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibi met antiquitatis deputatam, quidpiam suis Dignitatibus usurpaverunt?

7. Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Opus. 55. Capitulorum cap. 16. Ecclesiarum Patriarchalium dignitatem ad B. Petrum referendam multifariam ostendit; Sedes Ecclesiarum, inquit, scilicet Romana, Alexandrina atque Antiochena, idcirco specialiter legimus, Sedes dici, cum plurimæ Sedes, & Apostolorum, sicut Jacobi Hierosolyma, & Joannis apud Ephesum, in qua sedit & Timotheus B. Pauli Discipulus, & multa alia principalium Civitatum, quoniam Sedes sunt, quin potius, licet disparentur longinquitate terrarum, VNA SEDES SVNT MAGNI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS, &c.

8. Beatus Petrus Damiani lib. 2. Epist. 16. propositâ sibi difficultate circa Ecclesiarum excellentiam, quod scilicet Hierosolymitana cæteris preferenda videatur, quia Hierosolymis perfectum est redemptionis mysterium, respondet Ecclesiarum dignitatem, non Christi, qui omnibus præsidet excellentiâ; sed Petri privilegio esse metiendam; Quoniam Hierosolymis passus est Dominus universis Ecclesiis non Romana, sed Hierosolymitana potius præesse debet Ecclesia. Verumtamen cum ex autoritate Canonum, Romana Ecclesia primum teneat locum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Constantinopolitana quartum, Hierosolymitana jam quintum; constat Dominum salvatorem non unicuique Cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere. Liqueat ergo Ecclesiarum ordinem esse dispositum IUXTA PRIVILEGIUM PETRI, non secundum incomparabilem excellentiam Redemptionis. Quod ait Petrus Damiani, ex autoritate Canonum Romanam Ecclesiam primum tenere locum, non ita est accipiendum, quasi Canones hanc illi Ecclesiæ prærogativam contulerint, sed tantum, quod illi collatam fuisse declaraverint. Itaque

484 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
sensisse illum dubitare non sinunt alia ejus verba, præsertim
opus. 5. cap. 1. ubi mirum in modum Ecclesiæ Romanæ
dignitatem, & auctoritatem explicat. *Romanam, inquit,
Ecclesiam, solus ipse fundavit, & super Petram fidei mox nascentis erexit, qui
B. Petro æterna vita clavigero, terreni, simul & Cælestis Imperii jura com-
misi, &c.*

9. Quia ejusdem est concedere, ac in concessorum posses-
sione confirmare; si quando ambitio Ecclesias privilegiis à
B. Petro concessis spoliare tentavit, earum tuitionem pro-
virili susceperunt ejus Successores. Ita cùm Anatolius Epif-
copus Constantinopolitanus acceptâ occasione depositionis
Dioscori Alexandrini in Synodo Chalcedonensi factæ, nec
non destitutionis Domni Antiocheni à latrocínio Ephesino
tentatæ, & à S. Leone perfectæ, utriusque illius Ecclesiæ
jura invadere moliretur, & à Concilio Chalcedonensi usur-
pationem suam probandam curasset, obstitit ei validissimè
S. Leo, ut ex multis patet ejus Epistolis, præsertim ex 46.
cap. 5. ubi hæc inter alia leguntur; *Nihil Alexandrina Sedes, epus,
quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri Discipulum meruit, precat Digi-
nitas; Nec Dioscoro impietatis suæ pertinaciâ corruente, splendor tanta Ecclē-
sia tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primam
predicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paterna constitu-
tionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se sua infirmat.
Aliud enim sunt Sedes, aliud præsidentes. Quia verò, ut diximus Epif-
copi Concilii Chalcedonensis, sanctæ Sedis Legatis tum ab-
sentibus, ac postea reclamantibus, Patriarchalem Dignita-
tem prædicto Anatolio detulerant, eorum Decretum, seu
Canonem cassavit S. Leo ut patet ex ejus Epistola 55. quæ
est ad Pulcheriam Augustam cap. 3. *consensiones verò, inquit,
Episcoporum sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes,
unitâ nobiscum vestra fidei pietate in irritum mittimus & PER AVTORI-
TATEM B. PETRI APOSTOLI, generali prorsus definitione cassa-
mus.**

10. Nec inanem fuisse illius S. Pontificis conatum in com-
primenda Episcoporum Constantinopolitanorum ambitione
testantur ejus litteræ tum ad Anatolium, tum ad Marcianum
Imperatorem. Ad illum sic scribit in epist. 71. cap. 3. *Illam
autem culpam, quam de augenda potestate, alienâ (ut asseris) adoratione*

contraxerat, efficacius atque sincerius, tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transfuisset. Quia sicut in mala susceptione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur; sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua id profuerit sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit, &c. Epistolâ verò 59. Marcianum Dignitatis Patriarchalis Episcopo Constantinopolitano delatæ abrogationi acquievisse, apertè insinuat his verbis: Mihi autem multum fiducia, Deo per vos operante collatum est, quod probasse vos observantiam meam de Custodiâ Canonum paternorum, pietatis vestra affatibus indicatis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco, ut & Fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.

11. Idem confirmat Gelasius epistolâ 13. quæ est ad Episcopos Dardaniæ. Audiant, inquit, Marcianum, S. Memoria Papam Leonem summis laudibus profecutum, quod Canonum regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium Clerum Constantinopolitanum potius, quam se, talia tentasse consistentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Anatolii Epistola ad S. Leonem edita est in collectione Romana Lucæ Holstenii in secunda sectione Synodî Romanæ sub Bonifacio secundo num. 22. In ea & se excusat Anatolius, & S. Leonis potestatem agnoscit; Quæ Constantinopolitana gratiâ Sedis sancita sunt, inquit, in Chalcedonensi nuper universalis Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat nullam esse culpam in me. Et infra; Cum & sic gestorum vis omnis, & confirmatio auctoritati vestra Benedictionis fuerit reservata.

12. Acacio similiter eadem de causa obstitit Gelasius, ut videre est in ejus Epistola 13. supra citata, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; Nec minorem adhibuerunt diligentiam subsequentes Pontifices in conservandis Patriarchalium Ecclesiarum privilegiis. Idcirco Dioscorus Diaconus, ut ipse scribit ad Hormisdam Papam in Epistola, quæ exstat post 65. prædicti Hormisdæ, impedivit, quò minus Paulus Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Patriarcham Antiochenum electus, ordinaretur Constantinopoli, ne adversus Ecclesiam Antiochenam hæc ordinatio, tanquam præjudicium opponi aliquando posset. Hinc, inquit Dioscorus, est post labores, est post intentiones plures Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine Presbyter Constantinopolitana Ecclesia, quem huic honoris

honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum vulerunt, & tenuerunt hic ordinare. Ego iussionis vestrae non immemor CONTRADIXI, dicens: **IUSSIT D. NOSTER BEATISSIMVS PAPA SECVNDVM ANTIQVAM CONSVETVDINEM IBI (scilicet Antiochiæ) EVM EPISCOPVM ORDINARI.** Hoc obtinuit quod precepistis.

13. Leo Papa IX. epistolâ 5. quæ est ad Petrum Episcopum Antiochenum, suam ei opem pollicetur ad tuenda Patriarchalia jura Ecclesiæ Antiochenæ; Pro cuius (B. Petri) excellentia tertiam à Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summo pere monemus, non tua gloria causa, sed pro Sedis, cui ad tempus praesides, antiqua honorificentia. Nec revocaris ab hac intentione cupis libet pompa, vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochena Ecclesia reliquerunt omnia sanctorum Patrum Concilia. Ad quod utique, si oportuerit, **MAXIMA MATER, ROMANA SCILICET, ATQVE PRIMA SEDES, tam dilecta sibi filia, immo consocia nusquam decuit, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochena Ecclesia audimus.** Epistolâ 6. corripit Michaellem Archiepiscopum Constantinopolitanum, quod Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum suæ potestati subijcere conaretur.

14. Cæterum ne (quod facillimè accidit; aded ad affectandam libertatem & independentiam propendet hominum ingenium) è memoria Patriarcharum excideret, undè suam mutuati fuissent Dignitatem, reservata sunt nonnulla summo Pontifici in signum superioritatis. Varia enim sunt in historiis Ecclesiasticis exempla petita Patriarcharum confirmationis à sancta Sede. Quædam affert D. Petrus de Marca lib. 6. cap. 5. §. 2. ex Epistolis S. Leonis & S. Simplicii: sed illa communionis Ecclesiasticæ signa, non veras confirmationes fuisse vult. Verùm ipse textus contrarium suadet. Etenim in Epist. 44. S. Leonis plurima sunt, quæ auctoritatem summi Pontificis declarant. Ut ista cap. 2. *cum secundum suæ consecrationis (Anatolii Episcopi Constantinopolitani, qui Patriarchatum ambebat, nondum tamen adeptus erat) aures ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum, quam justiores esse voluimus.* Et ista cap. 3. *satis sit quod predicto vestrae pietatis auxilio, & MEI FAVORIS ASSENSV Episcopatum tanta urbis obtinuit (Anatolius.) Non indignetur regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem.* Et in Epistola sequenti, quæ est ad Pulcheriam Augustam cap. 2. *fieri*

frater & Coepiscopus meus Anatolius parùm considerans quanto pietatis vestra beneficio, & MEI FAVORIS ASSENSV Constantinopolitana Ecclesia Sacerdotium fuerit consecutus, non tam de acceptis gavisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est.

15. In epistola autem 17. S. Simplicii, quæ est ad Acacium clariùs exprimitur confirmatio; Nuper ab Ægyptia Synodo qua & monacho plurima, & Fidei Catholica est communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum Clero Alexandrine Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sancta memoria fratrem quemdam (vel quondam) & Coepiscopum nostrum obiisse Timotheum, inque ejus vice consona fidelium voluntate Joannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, ut nihil omnino restare videretur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, ut sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, APOSTOLICÆ QUOQUE MODERATIONIS ASSENSV votivam sumeret firmitatem, &c. Hoc igitur, quod restabat, erat necessarium ad firmitatem electionis, scilicet APOSTOLICÆ MODERATIONIS ASSENSVS.

16. Prætermitto ordinationes autoritate summorum Pontificum in Patriarchalibus Sedibus factas, vel suspensas, & alia subjectionis signa. Istum tantum addo, in quo exhibetur velut typus constitutionis Patriarchalium Dignitatum. Quando in Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. facta est unio Græcorum cum Ecclesia Latina, quæ occasio postulabat, ut Græci à Latinis humanissimè haberentur, non aliter confirmata est Patriarcharum Dignitas, quàm adjectâ conditione de testificatione superioritatis Romanæ Sedis, ut habet cap. 5. illius Concilii Decretorum, cujus sunt hæc verba; Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacrâ universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, que disponente Domino SUPER OMNES ALIAS ORDINARIÆ POTESTATIS OBTINET PRINCIPATVM, utpotè mater universorum Christi fidelium, & Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant servatâ cuilibet propriâ Dignitate, ita quod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne, PRÆSTITO SIBI FIDELITATIS ET OBDIENTIÆ IVRAMENTO, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & PRO ROMANA ECCLESIA sponsonem obedientie ab eisdem.

CAPUT IV.

De phantastico Gallie Patriarcha.

1. **E**Ditis in lucem duobus voluminibus Petri Puteani de Libertatibus Ecclesie Gallicanæ, suspicatus quidam esse creandi Patriarchæ in Gallia, epistolam Paræneticam scripsit sub nomine Optati Galli ad omnes Episcopos illius Regni, ut huic molimini sese maturè opponerent. Exagitata est illa suspicio cum ab Isaacio Haberto Theologo Parisiensi, ac postea Episcopo Vabrensi, opusculo quodam stylo Oratorio conscripto, tum ab Illustrissimo Petro de Marca libris de Concordia Sacerdotii, & Imperii compositis. Insuper nihilominus plurium animis concepta de affectato Patriarchatu opinio, quam fovent subobscuri quandoque rumores. Vanæ quidem sunt ea de re minæ, ac in flectendis ad præmittendum officium animis sapientum, quorum interest, minus idoneæ: Quia tamen simpliciores hinc commoveri videntur, propius ad considerandum idæalem illum Patriarcham admovenda est consideratio.

2. Cui metuendum esset ab illo monstro? Certè non summo Pontifici, cujus autoritas, cum Christum ipsum habeat autorem, nullis humanis machinationibus imminui potest ab iis, qui in Religione Christiana perseverare statuerunt: Praesertim, inquit Nicolaus I. epist. 8. quæ est ad Michaelem Imperatorem, cum Ecclesia Romana privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à Sanctis Universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; Quoniam fundamentum, quod Deus posuit humanus non valet anoverere conatus. Et quod Deus statuit firmum, validumque consistit. Allegè, potissimum peccat, qui Dei ordinatiōni resistere tentat. Privilegia, inquam, illius Sedis, vel Ecclesie perpetua sunt, Divinitus radicata, atque plantata sunt; IMPINGI POSSUNT, TRANSFERRI NON POSSUNT; TRahi POSSUNT, EVELLI NON POSSUNT. Insinuaverat eidem Pontifici Hermintrudis Regina Fran-

Franciae Carolum Calvum Regem Sedis Apostolicæ jura impetitorum, nisi quod optabat à Papa consequeretur, aucturum verò, si voti compos fieret; sed intrepidè respondit Nicolaus epist. 36. *Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum sed augmentum Ecclesie nostrae privilegii generetur. Nos certissimè credimus, quia PRIVILEGIA SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE NULLVM POSSVNT SVSTINERE DETRIMENTVM, nec plantatio, quam Cœlestis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quae summus posuit Architectus, queant quibuslibet, & quantilibet fluctuationibus amoveri.* Epistolâ etiam 42. juxta aliam epistolam Gelasii ad Orientales; *Privilegia sua, inquit, à Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est.*

3. Verisimilior esset timendi ratio Episcopis ipsis Gallicanis, si quando in Principem æquitatis & religionis minus amantem, ac in Archiepiscopum urbis Regiæ ambitiosum, & Regis studio, atque autoritate fultum incidere, ne instituto Patriarchatu, libertate Canonicâ, & magnâ propriæ Dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est Episcoporum Metropolitanorum, Exarchorum, ac denique Patriarcharum Orientalium depressio, nisi ab Episcopis Constantinopolitanis ambitionis æstro percitis, & Imperatorum potentia armatis? A quibus etiam deinde totus Oriens in schisma, & demùm in hæresim attractus est: Homines scilicet carnales, Dignitates Ecclesiasticas ex urbium amplitudine, ac Principum illic commorantium Majestate, non ex Apostolorum, vel Ecclesiæ primaria dispositione metientes, putarunt, sicut Civitates Regiæ cæteris præminent, ita qui in eis sedent Præsules, Coepiscopis posse dominari. Quâ in re ipsi met Coepiscopi eorum apud Principem gratiam modò metuentes, modò implorantes, propriæ servituti colla, partim spontè, partim inviti submiserunt.

4. Sed ut ad Patriarcham Gallicanum redeamus; à quo crearetur? A quo suam Dignitatem & autoritatem acciperet? A Christo? A summo Pontifice? A Rege? Ab Episcopis ipsis Gallicanis? Non à Christo: quis enim ita desipiat, ut arbitretur Dignitatem Ecclesiasticam in Evangelio per septemdecim sæcula non detectam, ab Apostolis, ipso jubente, non collatam, ab ipso rursus de Cælo descendente fore

490 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
fore tribuendam. Fidem non inveniret hujusmodi constitutio
extraordinaria sine plurimorum miraculorum confirmatione.

5. Christiani sunt, & Catholici, qui Regnum Francie incolunt, atque adeo verendum non est, ne Patriarchalis Dignitatis cum autoritate spirituali creandæ jus Regi adscribant. Illam sine autoritate Romani Pontificis institui, aut alicui Ecclesiæ impertiri non posse, quantumvis intercedat Principum sæcularium voluntas, docet S. Leo epist. 44. quæ est ad Marcianum Augustum cap. 3. occasione Anatolii Episcopi Constantinopolitani Dignitatem Patriarchalem ambientis; *Habet, inquit, sicut optamus Constantinopolitana Civitas suam gloriam, & protegente dextera Dei diuturno clementia vestra fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum secularium, alia Divinarum; Nec PRÆTER ILLAM PETRAM, QUAM DOMINVS IN FVNDAMENTO POSVIT, stabilis erit illa constructio.* Idem etiam scribit Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 73. verbis infra referendis. Imò Concilium Chalcedonense Dignitatem, quæ ex assensu Imperatoris Episcopum Constantinopolitanum auxerat, stare sine Romani Pontificis autoritate non posse sensit, ut in ejus Synodica ad S. Leonem videre est. Certè si Principes non possunt Metropolim Ecclesiasticam facere, ut capite sequenti probabimus, quæ poterunt Sedem Patriarchalem constituere? Aut quam habebit jurisdictionem spirituales Patriarcha hoc modo creatus.

6. A Summo quidem Pontifice posset quis ad Patriarchalem Dignitatem provehi; sed tunc Patriarcha non minus, immò magis subjectus esset sanctæ Sedi. Vocaretur enim in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ipsaque sollicitudinis participatione ad arctiorem cum supremo Ecclesiæ capite conjunctionem adstringeretur. Verùm exemplis Constantinopolitanorum, & aliorum Episcoporum edocti Pontifices, quàm difficile sit, ut ambitio adeptis tranquillè fruatur, & ulteriora, etiam vetita, non appetat, vix ad indulgendam illam exaltationem inducerentur.

7. At numquid possent Episcopi, Curia id optantis favorem aucupantes, vel indignationem metuentes, sibi met caput unum imponere, ac suam in id potestatem conferre? Certè, si
juxta

juxta vulgatam Juris regulam, *nemo plus juris ad alium transferre potest quam ipse habeat* ff. de jur. l. 54. non eximeret Episcoporum consensus Patriarcham à summi Pontificis autoritate, cui nihilominus subjacerent ipsi, nec prorsus successores suos ligarent. Etenim, si, ut communiter docent Juris Canonici periti, Episcopus sine summi Pontificis licentia Ecclesiæ suæ servitatem nequit imponere, & quæ circa hujusmodi fiunt, suos tantum tenent Autores; non magis ad Successores transferret Patriarchæ ab ipsis constituti, quàm Vicarii ab ipsis nominati potestas.

8. Accedit quòd Summi Pontificis est omnium Ecclesiarum jura defendere, sedulamque operam dare, ne vel ab ipsis Præsulibus lædantur. Atqui Gallicanæ Ecclesiæ maxima ex creato Patriarcha detrimenta paterentur. Plurimum enim earum imminueretur libertas, si Episcopis omnibus novus superior præficeretur. Metropolitanorum Dignitas obscuraretur, ac ferè deperiret, si vigeret Patriarchalis.

9. Denique non potest major Dignitas à minore constitui, Patriarchalis à Metropolitana, vel ab Episcopali, ut monet Nicolaus I. in resp. ad conf. Bulg. cap. 73. his verbis: *A quo autem sit Patriarcha ordinandus, interrogatis: Et idcirco scitote, quia in loco, ubi nunquam Patriarcha, vel Archiepiscopus constitutus est, à majori est penitus instituentus: quoniam secundum Apostolum minus à majori benedicitur. Deinde verò acceptâ licentiâ, & pallii usu, ordinat ipse sibi deinceps Episcopos, qui Successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius, QUAM A PONTIFICE SEDIS B. PETRI, A QVO ET EPISCOPATUS ET APOSTOLATUS SYMPSIT INITIVM, hunc ordinari, valeatis.* Præter rationem generalem, specialem aliam considerabat Nicolaus, quod scilicet Bulgari ad fidem Catholicam fuissent conversi ope Romani Pontificis, quæ ratio etiam locum habet in Gallia, in qua ex Innocentio I. à B. Petro, aut ab ejus Successoribus, sive illorum autoritate omnes illic fundatæ sunt Ecclesiæ.

10. Sanè licet, ut diximus, Episcopi Concilii Chalcedonensis, favente Imperatore Marciano, Ecclesiam Constantinopolitanam Patriarchali Dignitate insignire, refragantibus Apostolicæ Sedis Legatis, tentassent, Canon ille diu effectum

492 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
caruit, renitentibus Summis Pontificibus, nec plenè obti-
nuit, donec accessit eorum assensus.

II. Concludamus igitur cum S. Leone epist. 89. quæ est
ad Episcopos per Provinciam Viennensem constitutos in causa
Hilarii Arelatensis Episcopi aliquam juris Patriarchici partem
ambientis, neminem debere jus indebitum in alios Episcopos
usurpare, neque posse Episcopos propria Dignitatis jura in
alium transferre, & ad sanctam Sedem pertinere hujusmodi
usurpationem castigare. *Alienum jus, inquit S. Leo, alter sibi non
audet vindicare. Suis limitibus, suis terminis, sit unusquisque contentus, & pri-
vilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis
negligens Apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali sui honoris deser-
tor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non il-
lud, cui cesserit, sed is, qui intra Provinciam antiquitate Episcopali ceteros præ-
venit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.*

C A P U T V.

*Primates, & Metropolitanos, in Gallia præsertim, suam
à summo Pontifice auctoritatem traxisse.*

I. **P**rimates illos, qui olim in variis Galliæ partibus à Ro-
mano Pontifice ad vitam dumtaxat constituebantur,
suam ab eo jurisdictionem habuisse nemo dubitabit, qui consti-
tutionis formam attenderit. Nam vicariâ tantum auctoritate
pollebant, ut expressè docent summorum Pontificum Episto-
læ, quibus illa concedebatur. Sic S. Remigius à Papa Hor-
misdæ, vel, ut alii volunt, à Symmacho in Regno Clodo-
vei recenter ad fidem conversi; sic Arelate Cæsarius à Sym-
macho, Auxanius, & Aurelianus à Vigilio, Sapaudius à Pe-
lagio I. Virgilius à Gregorio Magno, sic alii ab aliis in Gal-
lia constituti sunt Vicarii Apostolici, & S. Bonifacius in to-
to Regno à Zaccharia, ut ex summorum illorum Pontifi-
cum Epistolis constat. Ubi autem Primatus non personæ, sed
Sedi, sive personæ pro se, ac pro successoribus datus est,
ut Archiepiscopo Lugdunensi in quatuor Provincias Lug-
dunenses, quæ sunt Lugdunensis propriè dicta, Rotoma-
gensis,

gensis, Turonensis, & Senonensis, non idèò minus debetur hæc Dignitas sanctæ Sedis autoritati, quia cum ampliori favore concessa fuerit.

2. *plenitudo potestatis*, inquit S. Bernardus Epistola 131. *super universas orbis Ecclesias singulari prerogativa Apostolica Sedi donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. POTEST, SI VITALE IUDICAVERIT, NOVOS ORDINARE EPISCOPATVS; ubi hætenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, ALIOS DEPRIMERE, ALIOS SVBLIMARE, prout ratio sibi distaverit, ita VT DE EPISCOPIS CREARE ARCHIEPISCOPOS LICEAT, ET E CONVERSO, si necesse visum fuerit. Eam potestatem Jacobus de Thermis Abbas Carolioci ejusdem Ordinis Cisterciensis magis explicat in Tract. contra impugnatores exempt. & privil. Posit, inquit, facere ex certa, & rationabili causa, quod in Regno, vel in Regione, ubi sunt Patriarcha, Primate, & Archiepiscopi, non esset Primas, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha, ita quod omnes Episcopi sibi immediate subessent. Et de Primatibus quidem disquisitio tantæ utilitatis non est, cum in Galliâ, præter Lugdunensem, qui appellationes ab aliis Provinciis etiamnum recipit; cæteri vel in sua tantum Provincia eo jure utantur, vel solo Primatis titulo sine ulla jurisdictione gaudeant.*

3. Metropolitanorum Dignitas antiquissima quidem est; à Christo tamen immediate instituta nullibi legitur in sacris Scripturis. Apostolos illius autores extitisse plerique conjiciunt, ex quibusdam novi testamenti locis, præcipue ex potestate à B. Paulo tradita B. Tito Discipulo suo, Episcopos, quos nomine Presbyterorum intelligit, per Civitates constituendi: quod Metropolitanis munus est. *Hujus rei gratia reliquit Cæta, ut ea, qua desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Tit. 1. Christus solum Petrum cæteris Apostolis præposuit. Itaque nemo cæteris Episcopis jure Divino præest nisi Petri successor.*

4. Nihil autem opus est modò quæstiones illas agitare, utrum illimitata reliquorum Apostolorum Jurisdictio fuerit tantum delegata, an ordinaria? Utrum ex consensu tantum B. Petri Episcopos Provinciis integris præfecerint? Utrum sic præfectorum Episcoporum successores potestatem ordinata serie accepisse censeantur ab ipsis Apostolis? *Cum manifestum*

494 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
festum sit (ut verbis utamur S. Innocentii I. epist. prima, quæ
est ad Decentium Eugubinum Episcopum) in omnem Italiam, Gal-
lias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes nullam in-
tuisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, AVT EIVS SV-
CESSORES CONSTITVERINT SACERDOTES.

5. Metropolitanam Dignitatem à Romana Sede in Gallia
institutam fuisse, cum non esset, ex eo etiam colligitur,
quod ab ea illic restituta est, cum defecisset. Cum enim per
annos ferè 60. nullos habuisset Metropolitanos Regnum il-
lud, licet extarent adhuc Metropolitanæ Sedes, seu Eccle-
siæ in primariis Provinciarum Civitatibus, implorata est Za-
chariæ summi Pontificis autoritas, qui eam illis Dignitatem
restauravit per S. Bonifacium, ut ex utriusque litteris constat,
idque juxta preces Principum Pippini, & Carlomani; Fran-
ci (verba sunt S. Bonifacii ad S. Zachariam) ut seniores dicam,
plusquam per tempus 80. annorum synodum non fecerunt, nec Archiepis-
pum habuerunt, &c. Sanctus autem Zacharias scribit ad S. Boni-
facium; De Episcopis verò Metropolitanis idest Grimone, quem nos jam
compertum habemus, & de Abel, & Ariberto, quos per unamquamque Me-
tropolim per Provincias constituisti, hos per tuum testimonium CONFIRMA-
MVS, ET PALLIA DIRIGIMVS, ad eorum firmissimam stabilitatem,
& Ecclesiæ Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu.

6. Principio quidem, cum à Romano Pontifice ordina-
bantur Metropolitanæ, non ita facilè ab istorum animis deleri
poterat memoria receptæ ab illo autoritatis: sed coegit loco-
rum distantia, ordinationem, vel Episcopis comprovinciali-
bus, vel viciniori Metropolitanæ permittente, ut de Metro-
politano Mediolanensi, & Aquileiensi testatur Pelagius I.
in epistola, cujus fragmentum refertur à Gratiano 24. quest.
I. can. 33. Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel diffi-
cultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerit ordinari, ipsi se invicem Me-
diolanensis & Aquileiensi ordinari Episcopi debuissent: Ita tamen ut in ea Civi-
tate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius Civitatis Pontifex occurrere de-
buisset; ut & ordinandi electio à proprio Ordinatore, ex consensu universali,
cui præficiendus erat, Ecclesiæ melius ac facilius potuisset agnosci, & in sua,
qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori suo subdendus fue-
rat, ordinaretur Ecclesiæ. Hanc tamen concessionem postea Sedes
Apostolica revocavit, ut ex S. Gregorio Magno ediscimus. Sic

Sic enim scribit epist. 31. lib. 2. *Obitum Laurentii Ecclesia Mediolanensis Episcopi excellentiam vestram jam credimus cognovisse: & quia, quantum ex Cleri relatione didicimus in Constantio filio nostro Diacono ejusdem Ecclesia, omnium consensit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine militem Ecclesia nostra dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer convenire cognoverit, à suis Episcopis, sicut vetus mos exigit, CVM NOSTRO TAMEN ASSENSU faciat consecrari.* Et lib. 2. epist. 68. quæ est 29. indictionis undecimæ: *Latores presentium Joannem Subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut electum vestrum suâ imminentiâ Dei Omnipotentis solatio secundum morem prædecessoris ejus faciat Episcopum consecrari. Nam sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus. Denique epist. 65. lib. 8. quæ est ad Mediolanenses: Ut igitur in ordinando eo, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem Notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, ANNVENTE CONSENSUS NOSTRI AVTORITATE faciat consecrari.*

7. In Illyrico Vicarius Apostolicus, Episcopus scilicet Theffalonicensis Metropolitanus ordinabat, & ab eis confulebatur in singulorum Episcoporum ordinatione, ut ex pluribus Summorum Pontificum litteris edocemur, præsertim è S. Leonis Epistola ad Anastasium Episcopum Theffalonicensem, ad quem sic scribit: *Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinatur Antistes: ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tua dictionis examinatio sermideatur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopis CONTRA NOSTRAM PRÆCEPTIONEM præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui noverit esse firmitatem, eosq; usurpationis sua rationem, qui hoc præsumperint reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos A TE VOLVIMUS ORDINARI.* In Synodo Rom. collect. Holsten. n. 24. vide etiam epist. 84. ejusdem Sancti cap. 6. Ex qua Epistola, & ex aliis ejusdem, ac subsequentium Pontificum apertissimè constat totam Episcopi Theffalonicensis in reliquos Illyrici Metropolitanos auctoritatem à Romano Pontifice pependisse, non ab illo imaginario Patriarchatu, quem ei affinxerat Petrus de Marca lib. 6. de Concor. Sacerd. & Imper. cap. 5. n. 3. quod se alibi accuratè explicare asserit, quodque potius improbare videtur in dissertatione de Primatu Lugdunensi, & cæteris Primatibus, quæ

496 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
adjuncta est à Philippo Labbe Concilio Claromontano sub
Urbano II.

8. Hoc jurisdictionis suæ exercitium, & autoritatis signum
in Illyrico sibi reservandum duxit Romanus Pontifex, ve-
ritus fortasse, ne accideret aliquando quod re ipsa tandem
contigit, ut Episcopus Constantinopolitanus Imperatorum
potentiâ partem illam Patriarchatus Occidentalis, Constanti-
nopoli, quàm Romæ viciniorem, invaderet. In aliis autem
Occidentis Provinciis, in quibus similis usurpatio non time-
batur, quibusque propter distantiam promptè providere non
poterat Ecclesia Romana, permessa est, ut diximus, Metro-
politanoꝝ ordinatio Episcopis comprovincialibus, aut Metro-
politanoꝝ vicinioribus.

C A P U T V I.

De eodem argumento, scilicet dependentiâ Metropolitanorum à sancta Sede.

1. **Q**uod fuerit in Gallia primis sæculis Metropolitanorum à
sancta Sede dependentiæ signum, non ita liquet, sed
cùm restituta fuit in eo Regno à Zacharia Pontifice Digni-
tas illa, concessum est, ut supra diximus, Metropolitanis
pallium, quod collationem potestatis significabat.

2. Illustrissimus quidem Petrus de Marca semper sollicitus,
ne Summi Pontificis autoritas nimis exerceat, & S. Bonifa-
cio illius augendæ & Episcopis Gallicanis impediendi augmen-
ti consilium tribuit, quod isti pallium ab illo impetratum ac-
ceptare differrent: *Bonifacius eos* (inquit Marca de Metropolitanis loquens lib. 6. cap. 7. §. 4.) *coegit illud (pallium) à Romana Sede querere, ut eâ ratione illos magis obnoxios esse faceret ei Sedi, ac præcipuo quodam jure Episcopo Romano subjeceret. At illi, quibus unicus metus erat, ne novitate illa adigerentur ad insolitam quamdam reverentiam in Sedem Apostolicam, ac ne insuper exciderent ab ea autoritate, quam Canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo fuere, an promissis stare deberent. Sed eam Francorum difficultatem ex eo ortam esse, quod rumor sparsus esset, Summum Pontificem pro palliis pecuniam accipere, innuit*

innuit ipsemet Zacharias epist. 5. Postquam enim suam significavit admirationem de restricta trium palliorum petitione ad unius postulationem, statim subjungit: Reperimus etiam in memoratis tuis litteris, quæ nimis animos nostros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quasi nos corruptores simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones queramus; ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in Simoniacam hæresim incidamus, accipientes, & compellentes, ut hi, quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed charissime Frater, &c.

3. In Pallio, ut scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Poloniæ apud Baronium ad annum 1102. Plenitudo conceditur Pontificalis officii, quia juxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, antè acceptum pallium Metropolitanis minime licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare. Consentiant cæteri Pontifices, ut S. Gregorius Magnus, cujus verba suprâ retulimus, & Nicolaus I. cujus sunt ista; Sanè interim non in Throno sedentem (Patriarcham, vel Archiepiscopum) & , præter Corpus Christi, non consecrantem, prius quam pallium à Sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes & Germania, & aliorum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur. Nicolaus I. in responsione ad consul. Bulg. cap. 73.

4. Metropolitanæ Dignitatis confirmationem à Patriarchis pendere, ac pallium ejus confirmationis signum esse supponit evidenter octava Synodus Oecumenica his verbis Canonis 17. Priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut eorum (Sedium Patriarchalium) Presules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem Episcopalis Dignitatis firmitatem accipiunt, potestatem habeant, videlicet, ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsan accusavit.

5. Cæterum Paschalis II. in Epistola mox laudata suspicionem amovet, quam aliqui, ut Marca loco suprâ citato concipiebant, pallii concessionem eo spectare, ut protenderetur summi Pontificis autoritas; asserit enim nihil exigi, quod ab omnibus Episcopis non debeat, etiamsi non requireretur; Quod non, etiam præter exactionem nostram, ab omnibus debeat Episcopis observari.

6. Nicolaus I. Hincmaro Archiepiscopo Remensi privilegia Sedis suæ confirmari postulanti appositè respondet epist. 28.

498 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
iniquè impugnari ab illo Archiepiscopo privilegia Ecclesiæ
Romanæ, sine quibus constare non possent Ecclesiæ Remen-
sis privilegia; *Privilegia præterea ab Apostolica Sede vestra Ecclesia confir-
manda deposcitis, qui tamen nostra privilegia, quantum in vobis est, infirma-
re satagitis. Portum salutiferum, sanctam Romanam Ecclesiam appellatis, qui
tamen in eo ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quo-
modo, rogo, privilegia tua stare poterunt, si ita privilegia illa cassentur, PER
QVÆ TVA PRIVILEGIA INITIVM SVMPSISSE NOSCVNTVR.*
Idipsum agnovit ipse Remensis, quandoquidem scripsit ad
Nicolaum Papam; Favente Domino in hac devotione manebis privi-
legium Metropolitanæ Sedis Remorum, cui me Divina dignatio scribere disposuit,
in summo privilegio sanctæ Sedis Romana manere, & privilegium esse Sedis
Romana, si suâ autoritate privilegium sibi subjecta Sedis fecerit vigere, &
studuerit confirmare.

7. Itaque cùm Metropolitanis negata est à Suffraganeis de-
bita obedientia, invocata est Sedis Romanæ autoritas, ut
inde robur, & auxilium acciperent privilegia Metropoli-
tica, unde originem duxerant. Exemplum suppeditat episto-
la Joannis XIII. ad Episcopos Britannicæ, hæc inter alia con-
tinens; *Arduinus Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, veniens ad Apo-
stolorum Limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui Archiepis-
copatus, quæ ab antiquis temporibus PER DECRETA SANCTORVM
PONTIFICVM SANCTÆ ROMANÆ MATRIS ECCLESIE suis
prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, à vestro Archiepiscopo sublata
videntur, &c.*

8. Sed, ut redeamus ad Metropolitanum Remensem. (Di-
vina enim providentia illos ipsos, qui sanctæ Sedis autorita-
tem ægrè ferunt, aut laturos sunt, ad illam confugere non
rarè compellit, ut quam spontè agnoscere recusant, vel in-
viti fateantur.) Hincmarus qui contra sanctam Sedem tam
frequenter recalcitraturus erat, non aliter suam Dignitatem
securè possidere potuit, quàm obtentâ Romani Pontificis
confirmatione: & ne causari posset, adhibitam à se hanc
cautelam ex prudentia, ob privatam necessitatem; cæ oc-
casionem summi Pontificis potestatem professi sunt omnes
Episcopi Gallicani, ut perhibent acta secundi Concilii
Suessionensis anni 853. parte tertia, his verbis; *porrexit etiam
(Hincmarus) Epistolam totius Gallie Episcoporum manibus subscriptam*

ad Apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis. Quæ de Metropolitanis dicta sunt, ex iis, quæ postea de Episcopis dicentur, plurimum lucis accipient, ac validè confirmabuntur.

C A P U T VII.

Cur in disceptationibus de jurisdictione consuetudo pro lege habita fuerit?

1. **I**N omni controversiarum genere possessio, præsertim si sit antiqua, & pacifica plurimum valet ad movendos in eam partem Judicum animos. In decidendis de jurisdictione questionibus, ea quasi unica regula fuit omni ferè tempore observata à Conciliis, & à summis Pontificibus, ut antiqua consuetudo retineretur. Ita cum Meletius Lycopolitanus in Thebaidis, ac vicinæ Ægypti Ecclesias à Patriarchatu Alexandrino distractas, jurisdictionem usurpasset, Concilium Nicænum illam injuriam reparavit hoc Canone, qui sextus est, & sic incipit; *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, &c.* Ita etiam licet Patriarcha Antiochenus Joannes nomine, Concilio Ephesino esset infestus, Concilium tamen Ecclesias Cypri, quæ ab illo in ordinationibus Episcoporum nequaquam pendere asserebantur, noluit liberas declarare, nisi factò diligenti examine, atque sub conditione, ut patet ex actis Synodalibus, & ex Decreto ea de re edito; *Si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypri, sicut libellis, & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad Sanctam Synodum accesserunt, habeant jus suum intactum, & inviolatum, qui sanctis in Cypri Ecclesiis præsent, secundum Canones SS. Patrum, & veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.* Occurrunt alia passim in actis Conciliorum, & in litteris summorum Pontificum, quæ congerere superfluum esset, cum à nemine negetur, vindicatam acriter fuisse in hujusmodi contentionibus consuetudinem. Sed inquirenda est causa illius praxeos.

2. Posset enim aliquis hinc suspicari Patriarchas, aliosque

R r r 2

An-

500 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
Antistites suam jurisdictionem non B. Petro, vel reliquis
Apostolis, eorumve successoribus debere, sed usui, seu com-
muni majorum consensui. Verum depellitur hæc suspicio ex
ipsismet Canonibus, Decretis, & Decretalibus illas con-
troversias dirimentibus. Nec enim cujusvis consuetudinis ha-
buerunt rationem, sed ejus, quam constaret ab Apostolis
ortam, vel quæ, propter suam antiquitatem, hominum me-
moriæ excedentem, ab illis orta præsumeretur. Id insinua-
tur Can. 6. Concilii Nicæni his verbis; *Antiqua consuetudo*: ut
ex illorum comparatione cum similibus Concilii Ephesini in-
frà patebit: hæc ejusdem Canonis verba; *Quandoquidem & Epif-
copo Romano hoc est consuetum; sive; Quia & urbis Roma Episcopo pari-
lis mos est, quæ immediatè sequuntur post ista; Ut Alexandri-
nus Episcopus horum omnium habeat potestatem, ita interpretatur Joannes
Cabassutius Presbyter Congregationis Gallicanæ Orato-
rii Domini Jesu, in notitia Conciliorum cap. 18. alterius
edit. sic intelligenda sunt, inquit, ut ideo præfata in Ægyptum, Lybiam,
& Pentapolim Alexandrino Præsuli competat autoritas, QVIA ID EI PRI-
MVS TRIBVERE SOLET ROMANVS EPISCOPVS, puta quia
consentit, ut Jurisdictio à B. Petro primis Antiochiæ Pa-
triarchis impertita, ad eorum successores transeat, qui sen-
sus, si recipiatur, nulla supererit de jure Summi Pontificis
dubitatio, etiam ubi solius fiet mentio consuetudinis.*

3. Porro in Concilio Ephesino Episcopi Cyprii affirmarunt,
non solum consuetudinem esse, ut in ea Insula Metropoli-
tani ordinarentur à Suffraganeis, sed etiam eam consuetudi-
nem ab Apostolis esse profectam. *A sanctis Apostolis, inquit Ze-
non Episcopus Curienfis, nunquam possent ostendere quod adfuerit An-
tiochenus, & ordinaverit, vel communicaverit unquam Insula ordinationis gra-
tiam, neque alius quisquam . . . nunquam vel adfuit, vel ordinavit, ne-
que in Metropoli, neque in alia Civitate, sed Synodus nostra Provincia con-
gregata constituerebat Metropolitanam. Libellus autem ipsorum Episco-
porum Cypri, Concilio in actione septima oblatus, hæc in-
ter alia continet; Idèò obsecramus & ad sancta vestra genia procedimus,
ut Canonica sententiâ etiam nunc sicut initio à temporibus Apostolorum, &
constitutionibus, & Canonibus sanctissima & magna Synodi Nicæna illæsa, &
superior infidiis & potentiâ permaneat nostra Cypriorum Synodus. Post mul-
tas interrogationes & responsiones Concilium, ut supra dixi-
mus*

mus. rem definiuit sub conditione, *si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, &c.* Quod autem per veterem morem, seu, ut habet Canon Nicænus, per antiquam consuetudinem significetur ea, quæ ab ipsa Ecclesiarum fundatione derivata est, explicant non solum verba Episcoporum Cypro mox relata; sicuti initio à temporibus Apostolorum; sed etiam quæ illis respondent verba sequentia prædicti Decreti Ephésini, quod deinde ad omnes Ecclesias extenditur; *Istud autem etiam in aliis Diocæsibus, & in omnibus Provinciis seruetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam Provinciam occupet, quæ antea & ab initio sub sua, vel Antecessorum suorum potestate non fuit Placuit igitur sanctæ Synodo ut unicuique Provincia pura & inuoluta, QUÆ IAM INDE AB INITIO HABVIT, sua iura seruentur, IVXTA VETEREM CONSVETVDINEM.* Notanda sunt verba illa, *QUÆ IAM INDE AB INITIO HABVIT*, quibus respondent ista *IVXTA VETEREM CONSVETVDINEM.*

4. Sed quare concessionis Apostolorum non est potius facta mentio in huiusmodi iudiciis, quam consuetudinis? Cur v. g. Canon sextus Nicænus Patriarchæ Alexandrini potestatem in Ecclesiis à Meletio usurpatis non retulit ad B. Petrum, à quo S. Marcus Alexandriæ præfectus est, sed ad antiquam consuetudinem? Multiplex est ratio. Prima quia non ita facile scitu erat, à quo quæque fundata fuisset Ecclesia; qui ei limites præfixi, quæ autoritas concessa; & alia id generis: consuetudo autem antiqua signum erat, omnia, ita ut erant, fuisse ab initio, vel postmodum legitime constituta. Secunda ratio erat, quia Pontifices & Episcopi, quæcumque ab Apostolis, & à propinquinis illorum successoribus gesta fuerant, quasi à Spiritu sancto specialiter dirigente suggesta maximè venerabantur; ideoque nihil innovari volebant, non solum circa ea, quæ certum erat fuisse ab Apostolis, vel Apostolicis viris ordinata, sed etiam quæ ex antiqua consuetudine coniciebantur præstantes habuisse Autores. Tertia quia cum omnes Apostoli (B. Petro excepto) fuissent æquales, etiam si constitisset à quo quæque Ecclesia fuisset fundata, inde tamen eorum inter se prærogativæ cognosci non potuissent; itaque certior, & compendiosior via terminandarum litium erat,

502 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
ut consuetudo antiqua staret. Hinc oritur quarta ratio, quia
scilicet iudicii, quæ secundum antiquam consuetudinem fe-
runtur, libentius partes acquiescunt; quod nimirum ex om-
nium consensu in pari causa melior sit conditio possidentis.
Par autem causa facilè iudicatur, cum obscura sunt utrinque
jura, & incertæ rationes. Unde ad possessionem, seu consue-
tudinem necessariò recurrendum est. Denique non est effica-
cior ratio fovendæ pacis, & tranquillitatis, quàm observatio
consuetudinis, ipsa quidem mutatio consuetudinis, ut scribit S. Au-
gustinus ad Januarium epist. 118. *etiam quæ adjuvat utilitate, no-
vitate perturbat.*

5. Non igitur ad consuetudinem, seu usum attenditur,
quasi ad causam jurisdictionis, sed potius tanquam ad effectum
& signum illius. Nec inde colligitur non pendere illam à
B. Petri Successoribus, sed B. Petri ordinationem, ac dispo-
sitionem ab ejus Successoribus, & à tota Ecclesia religiosissi-
mè custodiri, dum scitur; atque ut cognoscatur, per con-
suetudinem antiquam investigari. Nam nullà potest consuetudine in-
troducti, quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere va-
leat, qui eum possit solvere vel ligare. Cap. si Episcopus. de pœnit. &
remission. in 6. quod etiam dicendum de aliis jurisdictionis
actibus.

C A P U T V I I I .

Utrum jurisdictio Episcoporum sit à Deo immediatè.

2. **E** Arum Dignitatum, quas à Christo ipso institutas fuisse
in Scripturis sacris non legimus, acceptas Ecclesiæ
referre non est admodum difficile: præcipuasque in earum in-
stitutione partes B. Petro, ejusque Successoribus adscribere
par est, vel etiam omninò necessarium, saltem quantum ad
eas Regiones, in quibus soli Ecclesias fundarunt. Verùm quia
Episcopatus Christum habet autorem, contendunt aliqui ju-
risdictionem Episcopalem, non solum in communi, sed etiam
Episcopi uniuscujusque, à Deo esse immediatè.

2. Abstinuissimus ab hujus quæstionis tractatione, non
solum

solum propter ejus difficultatem; sed etiam, quia cum sa-
 erum hunc Ordinem maximè veneremur, & venerandum om-
 nibus cupiamus, displicent nobis, quæcumque veneratio-
 nem illam possunt quavis occasione imminuere; nisi animad-
 vertissemus illustrissimos Episcopos Parisiis congregatos suam
 in Deum jurisdictionem referre tum maximè conatos, cum
 justis Summi Pontificis Decretis repugnabant, quasi ab eâ
 censura tuti videri vellent, autoritatem nimirum suam non à
 sancta Sede, sed à Christo habentes, cui nequeat Summus
 Pontifex derogare; imò nec modum ponere, nisi certo or-
 dine ac cum certis formulis, quas ipsimet, quorum interest,
 impediant.

3. Potestatem jurisdictionis, absolutè, ac in se conside-
 ratam à Christo ipso fuisse institutam testantur hæc Evangelii
 verba: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt li-
 gata & in Cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in
 Cælo. Matt. 18. vers. 18.* Quamobrem etiam Præbyteri ex Epis-
 coporum commissione confessiones audientes, dum quempiam
 absolvunt, ex præscripta in Rituali forma, se id autoritate
 Christi præstare declarant. *Dominus noster Jesus Christus te absolvat,
 & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, &c.* Equi-
 dem quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Quis nisi
 solus Deus potest illorum dimittendorum facultatem tribue-
 re? Concil. Trid. sess. 23. de ref. expressè declarat quòd *Pres-
 byteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiunt.*

4. Sed quantum ad propagationem, seu communicationem
 jurisdictionis, prout ab ordine distinguitur, si, ut commu-
 niter explicatur, nihil aliud sit, quam assignatio, & sub-
 jectio subditorum, in quos exerceatur à Christo instituta re-
 gendi populi auctoritas, non videtur posse cujusvis Episcopi
 jurisdictionem ad Christum immediatè referri. Quod enim hi, vel
 illi fideles ad hanc Diocesim pertineant, ex institutione Di-
 vina non provènit. Christus Ecclesiam suam in Patriarchatus,
 Provincias, Dioceses, aut Parochias non distribuit. Facta
 est ergo hæc subditorum assignatio ab Apostolis, præsertim
 à B. Petro, vel ab ejus Successoribus, quando Episcopis quos
 mittebant, certam aliquam Parochiam, Provinciam, vel Dico-
 cesim regendam assignarunt, eaque assignatio ad Episcopo-
 rum

rum sic missorum successores transit, ut scilicet eam Provinciam, vel Diocesim, non aliam, subditam haberent. Quod quid aliud est, quam jurisdictionem accipere, in eo sensu, quem supra diximus? Hæc enim Parochiarum, vel Provinciarum distinctio, non ad solam politiam externam pertinet, sed ut valeant, quæ ab Episcopis constituuntur ordinationes aut censuræ, & quæ conceduntur dispensationes, absolutiones, & alia hujusmodi, quæ nullius essent momenti, si ab Episcopis præstarentur extra propriam Parochiam, ac erga sibi non subditos.

5. Itaque dum à summo Pontifice uniuntur Episcopatus, confertur jurisdictio Episcopo; quandoquidem ei subjiciuntur fideles, in quos potest post unionem, cum antea non posset, munia Episcopalia exercere; cum autem dividuntur Episcopatus, subtrahuntur Episcopo subditi, in quos jam non poterit, cum posset antea, jurisdictione uti. Sicut ergo institutis jam Episcopatus Papa unione, vel divisione jurisdictionem Episcoporum auget, vel minuit; ita dum Episcopatus primò constituit, jurisdictionem primis Episcopis contulit: Qui autem Episcopatum deinde adepti sunt, vel à Romano Pontifice promoti sunt, atque ita jurisdictionem ab eo immediatè receperunt; vel ab iis constituti sunt, quibus summus Pontifex hanc concesserat facultatem, atque adeo per summi Pontificis autoritatem.

6. Indubitatum est post Concilium Tridentinum, posse summum Pontificem certorum casuum absolutionem sibi reservare: ita ut, si post illam reservationem Episcopi absolvere tentarent, etiam proprios Diocesanos, nihil efficerent: Potest, factâ reservatione Episcopo facultatem impertiri ab illis casibus absolvendi. Non posset autem summus Pontifex in hujusmodi casibus jurisdictionem Episcopis adimere, vel concedere, si eam à jure Divino haberent; non posset fideles subditos, non subditos, quantum ad casus reservados efficere, si Deus ipse subdidisset.

7. Potest etiam summus Pontifex, dum justa intercedit causa, jurisdictionem Episcopis auferre, eos deponendo; immò potest, licet non debeat, etiam sine causa jurisdictionem restituere, illos in pristinum statum reponendo. Pendet ergo illo-

illorum Jurisdictione à summo Pontifice. Ideò licet Euchariſtiam validè conficiant, quantumvis juſtè à Pontifice prohibiti, & quantumvis conficientes peccent; ſolvere tamen, vel ligare in neutro foro poſſunt, juſtè vetante ſummo Pontifice, quia ſcilicet primum eſt de jure Divino, ſecundum, quantum ad materiam, in quam exercendum eſt, à ſummo Pontifice derivatum.

8. Nec dicas datam eſſe ſummo Pontifici totius Eccleſiæ curam, ita ut poſſit ſecundum rectam rationem, & præſcriptum ſacrorum Canonum, Episcopos corrigere, ſibi caſus reſervare, Episcopatus unire, vel dividere; hinc tamen non rectè inferri jurisdictionem, quam Papa demit, antea dediffe: ſicut enim poteſt Judex per ſuam ſententiam vitam auferre, quam non dederat: ita & Pontifex Episcopalem jurisdictionem, quam non communicaverit, tollere poteſt, in penam criminis. Sed maxima diſparitas eſt. Poſſunt enim Judices vitam auferre tantum, non ablatam reddere, quia nec dare poterant. Papa verò ut jam diximus, jurisdictionem tollit, & ſublata reddit; quod datam ab eo fuiſſe arguit.

9. Reſpondebis, Papam quidem poſſe juſtâ de cauſa Episcopos jurisdictione ſpoliare, non autem ſine cauſa; quod ſignum eſt illam à Deo, non autem à Pontifice, ſaltem abſolutè, pendere. Si enim Episcopus injuſtè deponatur, validè ſua jurisdictione uti poterit, etiam invito ſummo Pontifice. Sed ex eo argumento iſtud tantum efficitur, ſummum Pontificem non adeo eſſe liberum, ad tollendam jurisdictionem, ubi eam largitus eſt, ut ad retinendam, antequam impertitus fuerit, quod nemini mirum videri debet; cum etiam in regimine politico judices quidem delegati revocentur ad nutum; ordinarii autem, non ſine cauſa, ut ſæpe præjudicatum eſſe legimus in Senatus-Conſultorum collectoribus, adverſus Dominos temporales; imò etiam aliquando adverſus Episcopos, aut alios Superiores Eccleſiaſticos.

10. Gallicani Præſules litteras, quibus Beneficia Parochialia conferunt, eâ formâ conficiunt, quâ Theologorum Parienſium opinioni, jurisdictionem Parochorum de jure

Divino esse afferentium, non assentiri se significant, sed potius se jurisdictionem Parochiis tribuere, dum Parochiam conferunt; ejus tamen sine causa revocandæ facultatem omnino non habent. Uterentur enim non raro. Reponent fortassis id ita ab Ecclesia statutum esse, ac ob defectus similibus statuti se reliquis Presbyteris Beneficium non obtinentibus liberrimè jurisdictionem vel negare vel annuere, vel auferre, vel prorogare: sed si à Deo provenit, quod Episcopi jurisdictionem Parochiis impertiant, quomodo ab Ecclesia coarctari potest hæc eorum facultas? Porro non minus ab Episcopo conferri videtur jurisdictio Sacerdoti, dum ad vitam, quàm dum ad tempus tantùm conceditur, licet in primo casu difficilius revocetur.

11. Plurimùm desudavit Illustrissimus Petrus de Marca lib. 1. cap. 7. & alibi in restringendis ordinationibus Metropolitanorum & Episcoporum à Romano Pontifice consecrandorum intra Regionem suburbicarias, volens scilicet juxta Ruffini, & interpretis Dionysio antiquioris verba, Canonem 6. Concilii Nicæni comparationem inter Patriarchas Alexandrinum, & Romanum, ita instituisse, ut Alexandrinus in toto suo Patriarchatu eandem obtineret potestatem, quam Romanus, non in toto Occidente, sed in solis Ecclesiis suburbicariis, in quibus & ordinationes Episcoporum faciebat, & congregationes Synodorum; quo discrimine videtur insinuare majorem esse summi Pontificis, etiam tanquam Patriarchæ Occidentis, autoritatem in suburbicariis quàm in reliquis Occidentis Ecclesiis. Unde posset fortasse aliquis suspicari Episcoporum suburbicariorum jurisdictionem à Patriarcha Romano, à quo ordinantur, pendere; non autem aliorum v. g. Gallicanorum.

12. Sed impossibile est, quantumcumque se torqueat Marca, & quamcumque amplectatur Regionum suburbicariarum acceptionem, cum eas de toto Occidente nolit intelligere, ut possit aliquam Imperii divisionem assignare, in qua suburbicariæ regiones exactè Ecclesias omnes complectantur, quarum Episcopus Romanus Pontifex ordinabat. Res est evidens, si Regionem suburbicariæ juxta magis propriam acceptionem intra centenarium ab urbe milliariam concludantur, idque
fateri

fieri videtur ipse. Marca num. 6. cum locis suburbicariis etiam totam Metropolim Romanam non comprehendi agnoscit. *Per loca suburbicaria*, inquit, *Regiones illas quatuor intellexit, quae aliquot Civitatibus adjectis integram Metropolim Romanam è 69. Episcopatus constantiam constituunt.* Sed quid de Ecclesiis Mediolanensi, & Aquileinfi dicet, ac de toto Illyrico?

13. Veram discriminis in Episcoporum Occidentalium ordinatione rationem jam assignavimus, quod nimirum Gallia, & aliae Patriarchatus Occidentalis Provinciae ita erant Romae remotae, ut ordinandi Episcopi commodè illuc accedere non possent, nec tam erant alteri Patriarchae vicinae, ut usurpationis esset periculum: quare permixta est Metropolitanis Episcoporum, & Episcopis Metropolitanorum ordinatione, vel Metropolitanis vicinis invicem. Cum enim Patriarcharum jure contineantur Episcoporum ordinationes, ut probat ipsemet Marca eodem cap. 7. num. 1. & 2. cur Patriarcha Romanus eâ facultate solus careret in maxima sui Patriarchatus parte, qui & cæteris Patriarchis Dignitate Patriarchali aequalis est, & universali Primatu illis superior. Equidem Venerabilis Beda in hist. Eccles. gentis Anglorum lib. 3. cap. 29. & alibi tradit Episcopos Anglicanos Romae ordinari solitos: libro autem 2. cap. 18. permissam seu renovatam ab Honorio I. Episcopis Dorovernensi & Eboracensi ordinationem Episcopi in locum præmortui. *Vice B. Petri Apostolorum Principis*, inquit Honorius epist. 6. à Beda relatâ, *autoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad se jusserit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Causam quam diximus affert, quia ut & vobis concederemus, longa terrarum maribus intervalla, quae inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere cogunt; ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum pervenire.*

14. Quid quod in aliis Patriarchatibus habenda erat etiam ratio distantiae locorum, pro quibus ordinandi erant Pastores, ut docet S. Innocentius I. epist. 18. quæ est ad Alexandrum Antiochenum. *Itaque*, inquit, *arbitramur frater charissime, ut sicut Metropolitanos autoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaq; tua sinas Episcopos procreari.* In quibus hunc modum rectè scribis, *ut longè postea litteris datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos*

508 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si estinas, ad manus impositionem tua gratia statuas pervenire.

15. Præterea si juxta regulam à Marca propositam, & plurimum commendatam; qui pertinet ad Synodum pertinet ad consecrationem. Nonne summi Pontifices Gallicos Episcopos ad Concilium Romam evocarunt, aliquando cum Italiæ tantum, aliquando cum aliarum Provinciarum Præsulibus? Id de S. Damaso testatur his verbis Theodoretus, Ecclesiasticæ Historiæ lib. 2. cap. 22. Fuit autem scriptionis princeps Damasus, in variis virtutum generibus ornatus, qui post Liberium Præsulatum Romana Ecclesia sortitus esset. Cum hoc faciebant ergo Episcopi Italiae, & Galatia, quæ nunc Gallia appellatur, congregati Romæ, quorum, & ipsorum nomina exponere nimis longum arbitratus sum.

16. Epistolæ Synodicæ Agathonis Papæ & Romanæ Synodi 125. Episcoporum, quæ fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Synodum sextam celebrandam, superscriptio erat ista: Pissimis, &c. Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum universis Episcopis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis. Ei autem subscripserunt inter alios Adeodatus Episcopus Ecclesiæ Leucorum, Felix Episcopus Arelatensis, & Taurinus Diaconus Ecclesiæ Telonenis Legati Synodi per Galliarum Provincias constitutæ.

17. Sicut autem propter locorum distantiam non ita frequenter vocati sunt Episcopi Gallicani ad Concilium Romanum, ita eadem de causa illorum ordinationem sibi non reservavit Pontifex Romanus.

C A P U T IX.

Confirmatur Jurisdictionem Episcoporum à Summo Pontifice pendere.

1. **E** piscopalem Ordinem sine titulo, id est sine assignata plebe, quæ regenda sit, atque adeo sine jurisdictione conferri valde posse, quamvis non expediat, docet Joannes Gersonius tractatu de statibus Ecclesiasticis considerat. 8. de statu Prælatorum, Status Episcopalis, inquit, licet esse possit in aliquo sine

sine plebe, & sine usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio. Ubi notanda est distinctio inter non habere plebem, & non habere usum, vel exercitium; Ne quis verba Gersonii accipiat de Episcopis, quos Titulares vocant, qui, licet usu & exercitio suæ jurisdictionis careant, tamen sine plebe propriè non sunt. Ordinantur enim ad aliquam Ecclesiam in partibus infidelium existentem: nec eorum ordinatio monstruosa censi debet; tum quòd possint Infideles illi ad fidem converti etiam ipsorum Episcoporum prædicatione, tum quòd interim illorum Episcoporum opera necessaria sit Episcopis in partibus fidelium alicui Diocesi præpositis, cui regendæ propter senium, infirmam valetudinem, aliamve causam impares sunt.

2. Pater Christianus Lupus in Canonem 6. Concilii Chalcedonensis id non solum fieri validè posse, sed factum fuisse aliquando colligit ex Sozomeno. Sic autem scribit Hermias Sozomenus Hist. Eccles. lib. 6. cap. 34. *Adde his Barsen, & Eulogium, qui antè post creabantur Episcopi non Urbis alicujus, sed honoris causa, qui veluti vita pè anteacta compensatio in propriis Monasteriis, illis deferretur, ad quem modum Lazarus quoque, de quo supra diximus Episcopus fuit. Idem refert iisdemque ferè verbis Nicephorus Callistus: lib. 11. cap. 40. Extiterè prætèr Barsen, & Eulogium, qui amba post longum Monasterii exercitium certamen Episcopi facti, non in Urbe alicujus, sed honoris gratia in Monasteriis suis Episcopalem consecuti sunt consecrationem: ita ut rectè aliquis Dignitatem eam tanquam præmium, seu remunerationem philosophandi instituto eos accepisse dicat; sicuti & Lazarus de quo paulò ante post S. Basilidorum mentionem fecimus.*

3. Non deerit fortasse, qui Barsen, Eulogium, & Lazarum arbitretur propria Monasteria pro Diocesium habuisse; sed non constat Monasteria illa Episcoporum, in quorum erant territorio, jurisdictioni fuisse subtracta, nec patiebantur Canones duos Episcopos eisdem locis, & personis præesse. Verùm quidquid sit de facto, quòd ab Ecclesiæ praxi ordinaria abhorrent: non video cur si non licitè, saltem validè possint Episcopi, quemadmodum & Sacerdotes sine plebe ordinari. Quamvis enim major sit illorum, quàm istorum dignitas, & potior autoritas, non tamen ita diversus ordo, ut illis possit, illis non possit imprimi character, & conferri

510 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
Spiritus Sanctus cum potestate remittendi, & retinendi peccata, nullis assignatis subditis. Eo autem casu certum est jurisdictionem ab eo conferendam, qui eos ad regendam aliquam plebem mitteret, siquidem jurisdictio nihil aliud est quam subditorum assignatio.

4. Summus quidem Pontifex, cum toti Ecclesie præfici non possit, nisi ab eo, qui tota Ecclesia major est, jurisdictionem suam consequitur ex vi institutionis Divinæ, & à Deo immediatè ante omnem confirmationem, & coronationem, statim atque designatus est per electionem eorum, ad quos pertinet jus eligendi. At verò cum particularium Ecclesiarum regimen à superioribus Ecclesiasticis, præsertim à summo, conferri possit, non est cur pro illa collatione ad Deum immediatè recurratur.

5. At, inquit Pater Thomassinus, cum Episcopi seu Reges sint ad administrandum spirituale Regnum destinati, perinde absurdum videtur, si Episcopus sine plebe ordinetur ac si constituatur Rex sine Regno, & sine subditis; hoc est sicut Rex non est qui Regno caret; ita nec Episcopus, qui nulli Parochie præficitur. Verum præterquam quod Reges licet Regno renuncient, Regalem quandam dignitatem retinent: & Episcopi quamvis propriam Diocesim abdicent, Episcopalem characterem non exuunt. Presbyterorum etiam est Regale Sacerdotium: nec illis frustra dicitur ab Episcopo. *Accipite spiritum sanctum, quoniam remiseritis peccata remittentur eis, &c.* & tamen jurisdictionem ordinatione non obtinent, sed eam postmodum, vel cum titulo, vel per simplicem commissionem accipiunt.

6. Objicitur præterea exemplum Episcoporum vagorum. Concilium enim Vermeriense anno 752. can. 14. decrevit, *ut ab Episcopis ambulantiis per Patrias ordinatio Presbyterorum non fiat; si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur:* quibus verbis illas ordinationes non solum illicitas, sed etiam nullas esse significat: quandoquidem eas iterari mandat, seu ordines conferri, quasi nunquam antea verè collatos: quia nimirum Episcopi sine plebe non reputabantur veri Episcopi. Verum triennio post immutatum, vel saltem temperatum est hoc decretum. Sic enim statuit Concilium Vernense anno 755. can.

can. 13. De Episcopis vagantibus (sive vacantibus) qui Parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sine jussione Episcopi, cujus Parochia est. Et si hoc facere presumpserint, ab officio suspendantur, interim quod ad Synodum exinde venerint, & ibidem secundum canonicam institutionem accipiant sententiam; nisi tantum pro itineris causa. Et si ullus Clericus, aut Laicus talem Episcopum, aut Presbyterum defenserit sine comite Episcopi, cujus Parochia est, excommunicetur usque ad emendationem.

7. Continet Canon iste Vernensis causam Vermeriensis. Dubitabatur enim an Episcopi ambulantes per Patrias, seu vagantes revera ordinati fuissent. Ratio dubitandi erat, quia Parochias non habebant, & ab Ecclesie usu alienum erat, ut Episcopi ordinarentur, nisi ad certam plebem. Quamobrem majoris securitatis causâ præcepit Concilium Vermeriense, ut ordinationes ab ipsis factæ, tanquam nullæ haberentur, & si personæ idoneæ judicarentur, ab Episcopis, de quibus nulla esset dubitatio, manuum impositionem acciperent. Sed quia poterant Episcopi illi vagantes, & plebem non habentes, fuisse revera ordinati, æquius censuit Concilium Vernense, ut usque dum in Synodo rationem pro se reddidissent, judicium de ordinationibus ab ipsis factis differretur.

8. Eas nullas esse judicavit Concilium Cabilonense secundum anno 813. can. 43. dum ait; *sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes, absque licentia Domini sui sacrum, sive Magistrorum, Presbyteros, & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia perquamque in simoniam incidit & multis erroribus subjacet, multis comibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus. Sed præterquam quod similibus verbis aliquando exprimitur suspensio ab executione Ordinum verè receptorum, ordinationes à Scotis, factæ dicuntur multis erroribus subjacere. Accedit quod ignorabatur etiam de illis Scotis, an re vera manuum impositione consecrati fuissent, ut triennio post Concilium Cabilonense, affirmavit Concilium apud Celichyt an. 816. can. 5. cujus hæc verba sunt. Quinto Interdictum est: ut nullus permutetur de genere Scotorum in alicujus Dioecesi sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat ex sacro Ordine aliquid attingere, vel ab eis acci-*

512 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
accipere in baptismo, aut in celebratione Missarum, vel etiam Eucharistiam
populo præbere, quia incertum est nobis unde, & an ab aliquo ordina-
tur.

9. Non urget magis quod à Chorepiscopis ducitur argu-
mentum. Verum enim quidem est Carolum Magnum, post
sententiam Leonis III. & Episcoporum Gallicanorum, or-
dinationes illorum ceu nullas habuisse præcipuè ex duplici
capite. Nam *Episcopi non erant*, inquit Capitul. lib. 7. cap. 187,
quia nec ad quamdam Civitatis Episcopalem sedem titulati erant, nec canonicè
à tribus Episcopis ordinati. Ingens est controversia, utrum Cho-
repiscopi Episcopalem ordinem, seu manuum impositionem
ad ordinem Episcopalem acceperint, affirmantibus aliis, aliis
negantibus, aliis observantibus Chorepiscopos non fuisse om-
nes eodem modo ac ritu constitutos, sed alios Episcopali
charactere fuisse insignitos, alios verò nequaquam. Verba Ca-
roli Magni videntur illis favere, qui negant, illo saltem tem-
pore Chorepiscopis manus, sicut Episcopis, impositas. Istitis
enim nonnisi à tribus imponuntur, ac cum deputatione ad
certam Civitatis Ecclesiam. Quis autem credat contra utrum-
que illud caput, tantopere à Canonibus commendatum, com-
muniter ab Episcopis Chorepiscoporum ordinatoribus fore
peccandum, si Episcopalem ordinationem facere intendis-
sent.

10. Sed quidquid sit de Chorepiscoporum ordine, nihil
refert ad quæstionem, quam modò præ manibus habemus.
Certissimum enim est Chorepiscopos ad certam plebem regen-
dam constitutos fuisse. Nam, ut vel ipsum nomen innuit,
erant Episcopi pagorum, seu vicorum: idest pro Episcopis ex-
tra Urbem, plebi præpositi, ibique ferè omnia munia Epis-
copalia obeuntes, quamvis sub Episcopo Civitatis. Nihil au-
tem refert utrum plebs, cui aliquis præficitur, sit numero-
sa, vel non; in Civitate, vel in pago, ut sit titulus suffi-
ciens ad ordinationem. Licet enim vetuerint Canones Epis-
copos nisi in Civitatibus ordinare; ordinationem tamen ex
hoc capite nullam esse non objicitur. Difficultas autem mo-
dò est; utrum defectus tituli irritam reddat Episcopi or-
dinationem? At illa in Chorepiscopis locum non habe-
bat, ut diximus, quia territorium habebant, licet Episco-
po

po Civitatis subiectum. Nihil enim obest eandem plebem pluribus Pastoribus subordinatis subesse.

11. Episcoporum auctoritatem à summo Pontifice proficisci aliqui adhuc probant exemplo Moysis, & 70. virorum, quos ipse sibi tanquam adjuutores in regendo populo Judaico adjunxit num. 10. Ut enim, inquiunt, 70. virorum auctoritas à Moysse pendeat, à quo Dominus de spiritu, quem ei dederat, abstulit, & in eos contulit, non imminuto tamen Moysis spiritu (alioquin enim non tam fuisset adjutus, & sublevatus, quam debilitatus) ita Episcoporum auctoritas est participatio quædam potestatis summi Pontificis, ad quam velut fontem & originem refundenda est.

12. Præterea Ecclesia est status Monarchicus, cujus Monarcha summus Pontifex eadem pollet auctoritate in omnes, & populos Christianos, & populorum Judices, & Rectores, quæ Imperator, aut Rex in omnes Principes, Provinciarum Gubernatores, Prætores, aliosque Præfectos. Atqui certum est, & apud Jurisconsultos indubitatum, jurisdictionem omnem à Rege, tanquam ab origine derivari, & in cæteros omnes emanare. Quid ni de summo Pontifice idem sentiantur, ut sit ipse fons jurisdictionis Ecclesiasticæ?

13. Accedit quod auctoritas Episcoporum si à Christo immediate oriatur, æqualis foret in omnibus. Maxima autem in ea inæqualitas observatur; cum alii pluribus, alii paucioribus præfint, quam inæqualitatem quis alius constituit, quam is, qui Parochias instituit, eisque præfecit Episcopos, B. Petrus, ejusque Successores in omnibus saltem illis Provinciis, quas hodie complectitur Ecclesia.

C A P U T X.

Rursus confirmatur Jurisdictionem Episcoporum esse immediate à summo Pontifice.

1. **A** Postolos omnes jurisdictionem suam à Christo immediate habuisse probatur ex eo, quod ab ipso missi sunt; sicut missi me vivens Pater, & ego mitto vos. Joan. 20. vers. 21.

T t t

Esti-

Euntes ergo docete omnes gentes Matt. ultimo vers. 19. Ergo è contra Episcopi, qui à Christo immediatè missi non sunt, jurisdictionem ab ipso immediatè non acceperunt. Sicut enim committens Commissario, ita mittens missio confert auctoritatem. Quamobrem qui ab Apostolis mittebantur, modò unius Provinciæ, modò Regni integri curam assumebant. Aliquando alios Episcopos, vel plures, vel pauciores, aliquando nullos constituere poterant. Aliquando ad certum opus, aliquando ad integrum & perpetuum regimen deputabantur, prout Apostolis attentâ Ecclesiæ necessitate vel utilitate videbatur.

2. Qui ab Apostolis missi fuerant acceptæ potestatis participes alios efficiebant, juxta præscriptam sibi ab Apostolis mensuram, quam excedere non potuissent. Sive autem quis ad certum opus per aliquod tempus destinaretur, sive Pastor ordinarius statueretur, jurisdictionem habebat ab Apostolis: quemadmodum Episcopus Presbyterum alicui suæ Diœcesis parti præponens, sive Vicarium perpetuum cum constituat, sive ad nutum revocabilem, jurisdictionem ei tribuit.

3. Quin etiam Apostolis adscribenda erat jurisdicção Episcoporum, quos non ipsi, sed ex ipsorum concessione alii ordinabant. Sive enim defuncto Episcopo alium ipsi Apostoli substituerent, sive substituendi facultatem vicinioribus Episcopis aut Metropoleos Antistiti præberent, prout exigebat locorum vel propinquitas, vel distantia, Apostolicâ id fiebat auctoritate. Nec sibi Christus reservaverat Episcoporum in singulis Diœcesibus, aut Provinciis constitutionem, sed regimen, & politiam Ecclesiasticam Apostolis commiserat; constituens eos *Principes super omnem terram*, cum potestate creandorum officialium, & assignandæ cuique suæ Provinciæ: paucis quibusdam fortassis exceptis, quos ipsemet Spiritus sanctus elegisse videtur, ut S. Paulum & S. Barnabam de quibus legitur in actis Apostolorum cap. 13. vers. 2. *Ministrantibus autem illis (scilicet Apostolis) Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos.* Et vers. 4. *Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam, &c.* Sed de hac electione in capite sequenti.

4. Quam-

4. Quamvis autem Apostolis amplissima sit potestas à Christo collata, universæ tamen Ecclesiæ Pastor constitutus est Petrus; ipse positus est domus Dei fundamentum: ipsi traditæ sunt claves; ipsi commissæ sunt oves modo singulari. Quamobrem ad ipsum præcipuè referenda est jurisdictio aliorum Prælatorum, ut docet S. Thomas in hæc verba Psalmi 41. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Affirmat enim quod alii Prælati constituuntur per summum Pontificem Hebræorum. *§. Nemo assumat sibi honorem.* Moxque causam insinuat his verbis; *Petrus obtinuit principatum universalem Ecclesiæ.* Joann. 21. *Pasce oves meas.* Imò ab ipso solo vel ab ejus successoribus missi sunt Episcopi in illas Provincias, quibus hodie præcipuè constat Ecclesiæ, quod jam sæpè monuimus; *Præsertim*, inquit S. Innocentius epist. 1. quæ est ad Decentium Episcopum Eugubinum, *cùm sit manifestum in omnem Italianam, Gallias, Hispanias, Africam, ac Sicilian Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos QUOS VENERABILIS APOSTOLVS PETRVS; AVT EIVS SUCCESSORES CONSTITVERINT SACERDOTES.* Ostendimus supra B. Petrum Ecclesiis Patriarchalibus Dignitatem contulisse: ac probari possent alias, quæ post ipsas majori autoritate præditæ fuerunt, primos à Beatissimo illo Apostolo Episcopos accepisse, ut de Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia indicat prima ejus Epistola cap. 1. & cap. 5. De Constantinopoli, S. Agapetus epist. ad Petrum Hierosolymitanum in Concilio Const. sub Mena act. prima; de aliis, alii.

5. Certè qui olim in suis Parochiis, seu Provinciis, aut Diocæsiibus, vel etiam in locis circumvicinis, novas cathedras Episcopales eligebant, jurisdictionem se novis Episcopis conferre arbitrabantur, cum ejus aliquam partem, & aliquod signum retinerent, puta futurorum quoque Prælatorum ordinationem, confirmationem, convocationem ad Synodum, correctionem & similia; unde Primatum jus ortum aliqui arbitrati sunt, reservatâ Ecclesiæ Matrici in suas filias autoritate. Potiori ergo ratione Petro, Petrique successoribus tribuenda est jurisdictio Episcoporum Ecclesiis ab ipsis fundatis præficiendorum. Quamobrem à SS. Doctoribus, & à Theologis Episcoporum jurisdictio à B. Petro dicitur orta. Quod non tantum de ordinis communis, sed etiam de

516 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
causalitatis, ut in scholis loquuntur, prioritate, intelligen-
dum significant eorum verba.

6. Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus lib. 7. contra
Parmenianum; *Bono unitatis*, inquit, *B. Petrus (cui satis erat, si
postquam negavit, solam veniam consequeretur) & PRÆFERRI OMNI-
BVS APOSTOLIS MERUIT, ET CLAVES REGNI CÆLORVM
COMMUNICANDAS CÆTERIS SOLVS ACCEPIT. Non ergo
PRÆFERRI OMNIBVS APOSTOLIS MERUIT solius honoris or-
dine: sed ET CLAVES REGNI CÆLORVM SOLVS ACCEPIT.
Si solus; non ergo alii cum eo, saltem eodem prorsus mo-
do. Imò ex his verbis, COMMUNICANDAS CÆTERIS, infe-
runt aliqui Petrum ipsum immediatè cæteris etiam Aposto-
lis claves, seu jurisdictionem communicasse. Sed cum S. Op-
tatus non exprimat à quo facienda esset communicatio,
præstat ejus verba cum distributione accomoda interpretari,
ut Apostolis quidem Christus, aliis autem Prælati Petrus,
vel cum Petri consensu, reliqui Apostoli communicave-
rint.*

7. Sanctus Gregorius Nyssenus adversus eos, qui castiga-
tiones ægrè ferunt, id tradit de Episcopis his verbis; *Nihil
falsi, aut mendacii scriptum est in Evangeliiis, neque Christi prædictio exi-
tum fallacem habet. PER PETRVM Episcopis dedit clavem celestium hono-
rum. Non in Petro solum, sed PER PETRVM Episcopis.*

8. Sanctus Innocentius in epist. ad Concilium Carthagi-
nense, quæ est 91. inter Epistolas S. Augustini, asserit, quod
à B. Petro IPSE EPISCOPATUS ET TOTA AVTORITAS nomi-
nis hujus emerfit. Et in epistola ad Concilium Milevitanum,
quæ est 93. inter S. Augustini epistolas, præsertim, inquit,
quoties scilicet ratio ventilatur, *arbitrer omnes fratres, & Coepiscopos vestros,
nomini ad Petrum, idest SVI NOMINIS, ET HONORIS AVTO-
REM referre debere. Hæc verba, autoritas, & autorem, aliquid
specialiùs, quàm prioritatem ordinis sine dubio designant.*

9. Stephanus Episcopus Larissæ in Thessalia ad Bonifa-
cium II. scribit apud Labbeum; *quia Domino dicente tertio. Amen
me? Pasce oves meas, tradidit prius volis mandatum ostendens, & PER
VOS deinde omnis per universam Mundum sancti Ecclesie condonavit.*

10. Sanctus Leo Magnus eundem sensum apertius decla-
rassè videtur serm. 3. de assumptione sua his verbis; *Magnam*

et mirabile, dilectissimi, huic viro (Petro) consortium potentie sua tribuit Divina dignatio: et si quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Non poterant verba majoris energiae adhiberi, quam ista; nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Et alibi; hujus muneris (scilicet prædicationis veritatis) Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut AB IP SO quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Epist. 89. quæ est ad Episcopos Provinciæ Viennensis.

11. Joannes Episcopus Ravennas in epist. ad S. Greg. Mag. quæ habetur post epistolam 94. lib. 2. seu 55. indictionis 11. ejusdem Pontificis, sic se, apud illum excusat; Et quibus causis ego sanctissime illi Sedi, QUÆ UNIVERSALI ECCLESIAE IVRA SUA TRANSMITTIT, præsumpserim obviare, propter cujus conservandam auctoritatem, &c.

12. Id ipsum docet expressius S. Thomas in 4. sententiarum dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæstiunculâ 1. Ad primum ergo; inquit, dicendum, quod ad absolutionem requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, et potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas est aequaliter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo ubi Dominus Joannis 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem, unde et Sacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur; sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata. Matt. 16. ut intelligatur, quod ipse PRÆ ALIIS HABET POTESTATEM JURISDICTIONIS. Potestas autem ordinis quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos, et ideo indeterminatè Dominus dixit; Quorum remiseris peccata, intelligens tamen, quod usus illius potestatis esse debet præsuppositâ potestate Petro collatâ secundum ipsius ordinationem. Non ne ordinatio Petri pro usu potestatis remittendi peccata est collatio jurisdictionis? Id clariùs explicat S. Doctor lib. 4. contra gentiles cap. 6. Petro sibi promisit, tibi dabo claves Regni Cælestium, ut ostenderetur potestas clavium PER EVM AD ALIOS DERIVANDA ad conservandam Ecclesiæ Unitatem.

13. Non minus apertè eandem doctrinam tradit S. Bonaventura opusc. Quare Fratres Minores prædicent et confessiones audiant; Proprius, inquit, Sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis

518 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis Parochialis proprii
Sacerdotes. Primus & præcipuus est summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici
gregis cura singularissimè commissa est, ITA QUOD OMNES INFERIO-
RES ECCLESIAE RECTORES, CVRAM, ET TOTAM POTES-
TATEM QVAM HABENT SVPER SVBDITOS AB IPSO ACCI-
PIVNT MEDIATE, VEL IMMEDIATE.

C A P U T X I.

Aliis Testimoniis eadem doctrina confirmatur.

1. QUAM communis sit hæc doctrina constaret, si quilibet
Ordo religiosus, pro suo erga summum Pontificem
studio instituti sui scriptorum, qui eam tradiderunt catenam
conficeret; si pari diligentia uterentur Universitatum Docto-
res. Nos aliquos dumtaxat referemus, qui vel studuerunt,
vel docuerunt in Gallia.

2. Sed occurrendum est exceptioni quam præsentio Gallos
opposituros, scilicet suspectum esse hac in parte Regularium
testimonium, eo quod ipsorum referat, ad tuenda contra
Episcopos sua privilegia, Papæ quidem potestatem extolle-
re, aliorum verò Prælatorum jurisdictionem deprimeret. Hæc
objectio aliquam præ se ferret veri speciem, nisi ex iis scrip-
toribus aliquorum conspicua vitæ sanctitas cum eximia doctri-
na conjuncta, ut S. Thomæ, ac S. Bonaventuræ superiori
capite citatorum, aliorum nulli Ordini adscriptorum suffra-
gium, aliquorum etiam Episcopali Dignitate insignitorum
consensus, multitudo denique in illam sententiam conspiran-
tium, illam ab autoritate certam efficerent.

3. Illam solidè adstruit Herveus Natalis Brito, Ordinis
S. Dominici in tractatu de potestate Papa, sub cujus initium ait;
*Quidam ignorantes potestatem Sedis Apostolica, vel contemntes eandem,
quærentes suam potestatem statuere & indubitè ampliare, nolunt recognoscere
suam potestatem esse à Sede Apostolica, nec eam volunt recognoscere, sicut præ-
dictâ potestate Sedis Apostolica stabilitam, dicentes potestatem Episcoporum &
Curatorum aequè esse immediate à Deo, sicut potestatem Sedis Apostolica, &
potestatem prædictorum Episcoporum & Curatorum non esse à Papa, sed im-*

mediate à Christo; Quod ERRONEVM IVDICO, ut infra patebit. Ad hujus ergo erroris exclusionem videnda sunt quadam in generali de potestate Jurisdictionis. Hervei doctrinam S. Antoninus, quamvis Archiepiscopus, suam facere non dubitavit parte 2. summæ Theologiæ tit. 22. cap. 3. cujus § quintum sic inchoat; De plenitudine potestatis Papalis & Jurisdictionis erga alias potestates inferiores, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Parochiales Curatos. Ubi sciendum secundum Herveum in dicto Tractatu, quod omnis potestas Ecclesiastica alia à Papali subest ei quoad tria. Primum quantum ad correctionem abusum. Secundo QUANTVM AD INSTITVTIONEM, ET COLLATIONEM IPSIVS PŒTESTATIS inferioris. Tertio ad subsidium adnunciativum, &c. Vide si lubet ibi, & tit. 3. cap. 11. § 14.

4. Ut autem Scriptores Gallicanos prosequamur. Eandem sententiam amplexus est pluribus in locis veritatis magis quam augendæ propriæ Dignitatis studiosus Egidius Columna, Bitoricensis Archiepiscopus, Aquitanix Primas. Videri potest in lib. de renunciatione Papæ cap. 8. & alibi. Sed majoris ponderis est ejus suffragium in opere, in quo. Jurisdictionis Episcopalis fundamenta firmius stabilire opere pretium erat; scilicet ubi exemptiones impugnat, vel potius earum abusus, nempe opusc. contra exemptos, in cujus cap. 2. sic scribit; Cùm Pontifices & Episcopi sint opera sapientia summi Pontificis, quia PER EVM, VEL PER AVTORITYTEM EIVS SVNT ASSVMPTI IN PARTEM SOLICITVDINIS, &c. Vide ibidem cap. 25.

5. Thomas ab Argentina Theologiam Parisiis professus circa annum 1445. dist. 25. quæst. 1. art. 2. Cùm igitur, inquit, Jurisdictio spiritualis cujuslibet Sacerdotis dependeat à Summo Pontifice, apud quem solum residet Jurisdictionis plenitudo, tam in fieri, quam in conservari, IPSE ENIM QVOTIDIE POTES DARE ET AVFERRE HVIVSMODI JURISDICTIONEM, prout ad statum Ecclesie gubernandum ipse viderit expedire: ideo potestas excommunicandi, quæ precise immititur Jurisdictioni, dependet à potestate Ecclesie, seu Summi Pontificis non solum in fieri, verum etiam in conservari, quia non dependet minus illud quod immititur, quam dependeat illud, cui immititur. Et eadem ratione potestas absolvendi in Foro prenitentia, in quantum immititur jurisdictioni, dependet tam in fieri, quam in conservari à potestate Ecclesie. Et hinc est quod subtracta jurisdictione per sententiam Juris, vel Judicis à Prelato, vel Sacerdote, tunc non possunt excommuni-

municare, nec poenitentias salutare in iungero, & si de facto attentant, in-
vium est, & inane quod faciunt; quia potestas, quâ hac facere deberent, non
est eis conservata, sed potius irritata ab eo, à QVO DEPENDET HUIVS-
MODI POTESTATIS CONSERVATIO.

6. Joannes à Celaia in tertium sent. dist. 25. quæst. 7. idem
sentit, etiam de Apostolis, & explicat, probatque in hunc
modum; Queritur septimo circa eandem distinctionem, utrum à Romano
Pontifice derivetur ad omnes alios Prælatos Ecclesiæ potestas jurisdictionis. Ad hanc
difficultatem respondetur, affirmative. . . . Jam probatur eadem responsio per
rationes. Prima est talis. Ceteri Apostoli à Petro non habuerunt oves subditas im-
mediatè à Christo: ergo non habuerunt immediatè potestatem jurisdictionis à
Christo. Antecedens patet, quia soli Petro Salvator noster dedit oves Joann. ult.
cap. & nulli alteri: ergo non habuerunt oves immediatè à Christo. Secunda ratio
talis est: in omni principatu potestas jurisdictionis derivatur ad quamcumque per-
sonam à Monarcha talis Principatus, teste D. Dionysio, tam in lib. de Cælesti
Hierarchia, quam de Ecclesiastica Hierarchia. Sed Papa est Monarcha in Principatu
Ecclesiastico, ut probatum est superius, ergo AB IP SO DERIVATUR PO-
TESTAS IN OMNES ALIOS PRÆLATOS ECCLESIE. Tertia ratio talis
est: teste eodem Dionysio in libris allegatis, Ecclesia nostra militans ordinata est
ad instar cælestis Hierarchiæ: sed in cælesti Hierarchia est unus Monarcha, scilicet
Dominus Deus, à quo derivatur potestas in omnes alios: ergo ita erit in Eccle-
siastica Hierarchia: & non est ponendus alius à Pontifice Romano. Deinde
solvit objectiones, sicque respondet; Arguitur autoritate Divi Be-
nardi in lib. de consid. ad Eugenium Papam dicentis; Erras, si, ut sum-
mam, ita & solam institutam à Deo, æstimas tuam Apostolicam potestatem:
ergo alia potestates à Papatu sunt instituta à Deo, & per consequens potesta-
tes aliorum Prælatorum Ecclesiæ non derivantur à Romano Pontifice. Pro hujus
argumenti solutione est advertendum, quod in quolibet Prælate Ecclesiæ possimus
duo considerare, scilicet Dignitatem in se, & Dignitatem hujus personæ:
Dignitas in se immediatè est instituta à Deo; Dignitas autem hujus personæ,
id est quod ista persona habeat istam Dignitatem, sive potestatem Ecclesiasticam
non est à Deo immediatè, SED MEDIANTE ROMANO PONTIFI-
CE, QUI VOLUIT ISTVM INSTITVERE IN EPISCOPVM, vel
Rectorem. Quamvis talis potestas sit mediatè à Deo juxta illud Pauli ad Ro-
manos 13. Omnis potestas est à Deo; isto notato respondetur ad formam argu-
menti negando ultimam consequentiam. Nam licet Dignitas Episcopalis, sive
Rectoralis sit instituta à Deo: non tamen est institutum à Deo immediatè,
quod iste habeat Dignitatem Episcopalem vel Rectoralem, sed à Romano Pontifice.

7. Michael Maucler parte 2. de Monarchia lib. 4. cap. 10. eandem tradit doctrinam. Marcum Antonium de Dominis Episcopum Spalatensem contrariam amplexum, confutandum sibi in hoc etiam puncto duxit Nicolaus Coeffeteau Episcopus Massiliæ nominatus discussione quinti capitis lib. 2 Spalatenfis.

8. Joannes Puteanus Regius in Academia Tolosana Theologiæ Professor in secundam secundæ sancti Thomæ quæst. prima art. 6. dub. 3. in resp. ad primam objectionem, & ad instantias, jurisdictionem Episcoporum à Deo mediâtè derivat, à summo Pontifice immediâtè. De lege namque communi Episcopi suam Dignitatem consequuntur à Deo per dependentiam à summo Pontifice, adeo ut potestas Episcopalis de jure communi pendeat intrinsecè & ex ordinatione Divina à potestate summi Pontificis. . . . Hac autem est in Episcopis modo ordinario, atque adeo cum dependentia à summo Pontifice, penes quem est LIMITARE JURISDICTIONEM EPISCOPALEM, ut definitum sunt multaties, Et adhuc infrà; Nihil accipit Pontifex Maximus ab Ecclesia, sed à solo Deo. Ecclesia autem illud omne, quod habet, à Pontifice maximo proximè, & immediâtè mutuatur; remotè verò, & mediâtè à Deo.

9. In specimine juris Ecclesiastici apud Gallos recepti Joannis Doujat Antecessoris Parisiensis, extat Tractatus Privilegiorum, qua exemptiones dicuntur, Autore Joanne Lomedè in Senatu Parisiensi Patrono, in cujus cap. 3. num. 12. supradicta doctrina traditur. Episcopi (licet quod singulariter alloquendo Petrum, cum suis futuris Episcopis loqueretur) sunt à summo Pontifice tanquam Christi ministro & capite Ecclesia electi, assumpti & instituti, quorum summorum Pontificum est DIVIDERE, ET VNIRE DIOECESSES, & imponere curam, &c.

10. Numero autem 13. ait idem Lomedè; Glossa Pragmatica sanctionis in capite licet in vers. reservationes, De electione. Tenet per cap. Pato. 2. quæst. 7. & cap. mandata. De presumption. Episcopos in suis Diocesis Vicarios esse Papa. Idèò Legatos & Delegatos suos esse majores ordinariis.

11. Non ergo augendæ propriæ Dignitatis desiderio tribuendum est, quod recentiores Pontifices declararunt Episcoporum honorem & jurisdictionem à sancta Sede effluere. Ac si quis eorum testimonia recusat, quod in propria causa loquantur: Cur non rejicietur etiam Episcoporum contra-

522 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
rium sentientium autoritas, cum non minus proclives sint
inferiores ad amovendum subjectionis jugum, quam supe-
riores ad amplificandam suam Dignitatem? Cur igitur major
hac in parte fides debebitur Episcopis Gallicanis, quam Six-
to V. Papæ, cujus hæc sunt verba constit. 74. an. 1587.
undecimo Kal. Febr. in institut. Congregationis pro consul-
tationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum §. 1. *Quæ-
re ut ab Apostolica Sede, à qua tanquam à Matre honorem, & JURIS-
DICTIONEM ACCEPERUNT, sibi, cum opus erit, auxilium, pro-
vidumq; paratum esse intelligant, ut greges suos tanto fructuosius pascant,
quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum, & aliorum Prælatorum
consultationibus audiendis.*

12. Nemo hætenus Bullas provisionis recusavit, eo quod
in hac forma essent, quæ jurisdictionem Episcopo à summo
Pontifice conferri significat; PROVIDEMVS ECCLESIE N. de
persona N. & præsumimus eum in Patrem & Pastorem, ac Episcopum ejs-
dem Ecclesia, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiri-
tibus.

C A P U T XII.

*Respondetur argumentis sententiæ, jurisdictionem Epis-
coporum ad Deum immediatè referentis.*

1. **C**ontra doctrinam in superioribus capitibus traditam
objici potest primò. Jus Divinum in Scripturis sacris
vel in traditione habemus, & hinc mutuandæ sunt leges,
secundum quas controversiæ circa jus illud emergentes diri-
mendæ sunt. Itaque si Episcoporum autoritas à summi Pon-
tificis voluntate penderet, id Christus aut verbo, aut factò
expressè docuisset, aut saltem Apostoli ipsi; sicut cætera,
quæ de jure Divino sunt, aut Scriptura ipsa exprimit, aut
Apostoli usu, & traditione declararunt, vel saltem Apосто-
lorum tempore, aliquo, si non evidentissimo, ad minus
fatis aperto specimine demonstrata sunt; at verò Scriptura
sacra potius insinuat Episcoporum jurisdictionem à Deo esse
immediatè. Dominus enim noster Jesus Christus Apostolos
misit

misit his verbis. *Euntes docete omnes gentes.* Missio autem complectitur auctoritatem omnem ad ea peragenda, ad quæ quis mittitur. Porrò quemadmodum summus Pontifex B. Petro Apostolorum Principi succedit, ejusque potestati ad regendum Christi ovile; ita Episcopi cæteris Apostolis. Ergò quemadmodum Apostoli non à B. Petro missionem, & jurisdictionem, sed à Christo ipso acceperunt: ita Episcopi non à summo Pontifice, sed à Christo. Verùm distinguenda est in Apostolis duplex Dignitas; Apostolica scilicet, & Episcopalis. Ad primam pertinebat, ut Evangelium prædicarent, & Ecclesias ubivis fundarent, atque ordinarent. Ad secundam spectabat, ut Ecclesiam aliquam tanquam Pastores proprii, & ordinarii regerent, ibique munia Episcopalia obirent, sicut S. Jacobus Jerosolymitanæ præfuit Ecclesiæ, S. Joannes Ephesinæ, S. Petrus Antiochenæ, ac postmodum Romanæ. Successerunt Episcopi Apostolis in Dignitate Episcopali, non autem in Apostolica; quia scilicet ista non erat ordinaria, & ad successores transmittenda, sed extraordinaria, & tunc temporis necessaria, ut *in omnem terram exiret sermo eorum, & in fines orbis terra verba eorum*, ut jam supra notavimus. Solius Petri auctoritas non solum tanquam Episcopi Romani, sed etiam tanquam Ecclesiæ Capitis, & Christi Vicarii generalis ad suos successores transit, quia hoc ad regimen Ecclesiæ, quod ipsius fundator optimum, atque adeo Monarchicum statuerat, erat necessarium. Cæterum in regimine Monarchico supremus Princeps officia aliis etiam Principibus distribuit, ac jurisdictionem confert. Nec refert si dicas Christum esse supremum Ecclesiæ Principem; nam ipse quidem per se invisibiliter Ecclesiam regit, sed visibilem administrationem, qualis est gubernatio populi fidelis, ad quam requiritur jurisdictio, visibili suo in terris Vicario committit.

2. Objicitur secundo, quod dispersi per orbem Apostoli Episcopos per Civitates non solum constituerunt ipsi, sed & alios constituendi facultatem impertiverunt. Nam B. Paulus scribit ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratiâ reliqui te Creta, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros: sicut & ego constitui tibi;* sub nomine autem Presbyterorum Episcopos intelligit; subjungit enim

524 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
enim paulò post prædicta verba ; *Oportet enim Episcopum sine cri-
mine esse, &c.* Atqui S. Paulus qui *non ab hominibus, neque per ho-
minem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem* constitutus fuerat
Apostolus, ut ipsemet de se testatur epist. ad Gal. cap. 1. pro
jurisdictione obtinenda, nec Titum, nec alios Episcopos,
vel à se, vel ab illo ordinatos ad S. Petrum misit : unde conji-
cere licet ipsorum jurisdictionem à Christo immediatè fluxis-
se, & si cui homini adscribenda foret, videretur potius ad
S. Paulum referenda. Nec ii soli, qui ab Apostolis facti sunt
Episcopi, sed & qui ab istis, & rursus qui ab aliis, Episco-
palia munia gesserunt non petitâ jurisdictione à B. Petro, vel
ab ejus successoribus. Verùm præterquam quod Apostolica po-
testas in cæteris à Petro Apostolis erat extraordinaria, ut
diximus, & non poterat ullus Episcopus creari, qui à supre-
mo Ecclesiæ Pastore non penderet in regimine ovium Christi:
quid mirum est si primis Ecclesiæ temporibus summi Pontifi-
ces in cavernis frequentissimè latitantes, quasi furtim, pauca
tantùm Pastoralis officii munera exequi per se potuerint ; si
totius terrarum orbis non ita specialem curam gesserint, at-
que illius curæ authentica monumenta ad nos usque non pe-
venerint. B. Petrus, antequam Apostoli varias in partes pro-
ficiscerentur, ac postmodum B. Petri successores alii expre-
sse, alii tacitè consenserunt, ut Episcopi, quotquot ad po-
pulorum recens converforum regimen essent necessarii, ordi-
narentur, & ad eam Ecclesiæ portionem destinarentur, cui
satis esse possent. Verumtamen ut potestatis origo nunquam
ignoraretur, summi Pontifices, quemadmodum supra ob-
servavimus, aliquod superioritatis signum in Patriarchas,
Primates, sæpe etiam in Metropolitanos, à quibus inferio-
res Episcopi ordinabantur, sibi reservarunt ; puta pallii con-
cessionem, aut ordinationem ipsam. Apostolos omnes ordi-
nem Episcopalem, cujus effectus est alios posse ordinare, à
B. Petro recepisse nonnulli sentiunt. De B. Paulo, cujus spe-
ciatim exemplum opponitur, S. Leo epist. 81. cap. 1. scri-
bit, *quod cum Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad
Evangelium gentibus mitterent predicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt
eis manus.* Cum autem B. Petrus Antiochiæ, ubi constat ex
cap. 13. Act. Apostolorum, ordinatum fuisse B. Paulum,
catho-

cathedram collocasset, essetque specialis Episcopus illius Ecclesie, Pauli ordinatio B. Petro merito adscribitur. Ita expressè pronuntiavit Arator Subdiaconus Ecclesie Romanæ an. 544. hist. Apostolicæ lib. 2.

*Spiritus accensam verbo radiante lucernam,
Sub modio lucere vetans: secernite Saulum
Dixit in oris opus, quem mox sacravit euntem,
Impositâ Petrus ille manu, cui sermo Magistri
Omnia posse dedit.....*

Itaque jam tum inter se consensisse B. illos Apostolos de ordinandis Ecclesiis verisimillimum est; sicut postea dexteris sibi societatis dederunt, cum unus Judæorum, alter gentiliū, specialiorem curam suscepit. Cæterum primis etiam sæculis B. Petri ejusque Successorum non solum consensu, sed etiam autoritate, præpositos Ecclesiis Pastores suadet sequentium temporum praxis, quibus summi Pontifices suam liberius exercuerunt autoritatem. Nam, ut supra vidimus, Episcopos, & Archiepiscopos in Provinciis, in quibus vel non fuerant, vel defecerant, statuentes, ordinationis, ac regiminis regulas, & potestatis mensuram præscripserunt, ac juris sui signum aliquod sibi reservarunt.

3. Opponitur tertio quod S. Paulus B. Timotheum ad Episcopalia munia ritè obeunda exhortans, solius impositionis manuum mentionem facit; *Admoneo te*, inquit secundæ Timoth. 1. *ut resuscites gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum mearum..... Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ.* Non, ait, à me, sed, per impositionem manuum mearum; quia licet ministerium Pontificum necessarium sit ad ordinationem & commissionem regiminis animarum: Non est tamen jurisdictionis causa. Sed quemadmodum in Baptismo, licet *Petrus baptizet*, ut inquit S. Augustinus, *hic (Christus) est qui baptizat: Paulus baptizet; hic est qui baptizat, &c.* Ita in ordinatione manus ab Episcopis imponuntur, sed à Deo gratia infunditur, & potestas confertur. Verùm hæc S. Pauli verba de potestate ordinis, quæ per impositionem manuum confertur, patet esse intelligenda.

526 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
da. Nec refert, quod subinde muniorem Episcopatum sit
mentio, tum quod utraque potestas eodem tempore confer-
retur, & qui ordinabatur, ad certæ plebis regimen jam desti-
naretur; tum quod gratia, quæ per ordinationem confer-
tur, ad exequenda ritè officia Episcopalia sit admodum ne-
cessaria; tum denique quia potestas jurisdictionis in pleris-
que supponit potestatem ordinis.

4. At, inquires, expressè declarat idem S. Apostolus spi-
ritum sanctum posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei, quod ad juris-
dictionem spectat, non ad ordinem. Sunt certè à Spiritu Sancto
positi Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei, quia conferuntur
illis in ordinatione Spiritus Sanctus cum magna gratiarum
copia, & characteris impressione, quibus apti sunt ad Epis-
copales functiones, non tamen inde infertur jurisdictionem
à Spiritu Sancto immediatè conferri. Quilibet enim Sacerdos
& characterem, & nisi obicem ponat, Spiritus Sancti gra-
tiam percipit, dum ordinatur: jurisdictionem tamen ab Epis-
copo habet, ut in Parochia, vel Diocesi Pœnitentiæ Sacra-
mentum ministrat. Adde quod verba illa non à Spiritu Sancto
collatam Episcopis jurisdictionem, sed inspiratam eorum
electionem significant, ut colligitur ex act. cap. 13, ubi
Pauli & Barnabæ missio tribuitur, & Spiritui Sancto tan-
quam suggerenti, & ordinatoribus tanquam suggesta ex-
quentibus & immediatè mittentibus; *Ministrantibus autem illis Do-
mino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus; segregate mihi Saulum
& Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunatis, & can-
tes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à spi-
ritu Sancto abierunt Seleuciam, &c.* Observant Doctores, Ecclesiæ
Ministros ex speciali Spiritus Sancti revelatione tunc creati
solitos; ideoque illorum electionem Spiritui Sancto peculiari-
ter adscribi.

5. Cùm suprà dictum sit Apostolos indiscriminatim Ec-
clesias fundasse, Pastores illis præposuisse, hisque jurisdic-
tionem contulisse, argui posset Episcoporum jurisdictionem
ad alios Apostolos eorumque successores, perinde ut ad
S. Petrum esse referendam. Sed præterquam quod stabit sem-
per jurisdictionem Episcopalem non esse immediatè de jure
Divino, contra quam contendunt Antistites Gallicani, nihil
eos

eos hoc argumentum juvat; quippe cum ut sæpe inculcavimus ex S. Innocentio, nullus, præter B. Petrum, aut ejus successores, in Galliis Ecclesias constituerit: imò qui ab aliis Apostolis constituti sunt Prælati, eos à B. Petro jurisdictionem habuisse docet S. Bonaventura opusc. Quare fratres Minores prædicent & confessiones audiant. Dominus Jesus Christus, inquit, omnium Creator, & Governator, sanctam Ecclesiam suam ascensurus in Cælum Apostolis regendam, & dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertio; *Pasce oves meas.* Sed ut ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Parochias, & alias canonicas distinctiones; ut quia per unum, vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus salutis necessariis congruè satisfieri; plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites proximitate animarum vocarentur. Et secundum cura Pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam autoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesie, apud Sedem Apostolicam. Romana Ecclesia, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedet, & successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse summus Pontifex solus habet totam plenitudinem autoritatis, quam Christus Ecclesie contulit, & quod ubique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali Sede Romana, & quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis autoritas, prout singulis competit ei participari, sicut in Cælo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu omnis gloria Sanctorum, licet eam differentes singuli participant pro captu suo, &c.

6. Denique dices, si jurisdictione Episcoporum à Papa esset, eam facile posset tollere, imò sine causa, si non licet, saltem validè, essetque verendum, ne eos non ut fratres, sed ut Vicarios haberet. Verùm licet summus Pontifex proximus sit Episcopalis jurisdictionis collator, non eam Præsulibus confert quasi Vicariis, licet eo nomine glossæ aliquæ utantur, sed quasi Pastoribus ordinariis, ut eam non ejus, sed proprio nomine, ac jure exercent. Sicut enim, licet Rex Senatui, aut Proregi, vel Toparchæ jus concederet Judices, aliosve officiales ordinarios ad regimen populi, creandi, eisque jurisdictionem cum officio ac titulo conferendi, præsertim si officia ipsa ille instituisset, quorum collationem

cede-

cederet, non continuò tamen arbitrio Senatus, Proregis, aut Toparchæ permitteret facultatem creatos semel Officiales absque ulla legitima causa revocandi: ita Christus, qui Episcopatus est institutor, quique per Episcopos Ecclesiam administrari voluit, etiam si Petro ejusque Successoribus, tanquam supremis Pastoribus, Episcopatum particularium, & Episcoporum institutionem commiserit, nequaquam tamen eis (quasi Episcopus Romanus unicus Pastor esset, & alii ejus tantum Vicarii, ac Commissarii, non verò Pastores) jus tribuit ad libitum cæteros amovendi. Nec id unquam senserunt summi Pontifices, sed potius magnam suæ Dignitatis partem in eo posuerunt, ut unicuique Episcopo salva esset sua Dignitas & integra Privilegia, nisi fortè crimine aliquo iis privari mererentur. Ita sæpè S. Leo, S. Gregorius, alique maximi Sanctissimiq; Pontifices, & verbis & operibus protestati sunt.

7. Sanctus Leo Episcopis Provinciæ Viennensis scribebat epist. 89. se maximam ex servatis illorum juribus lætitiâ percipere. *Nostra enim, inquit, gratulationi hoc solum crescere proficimur, si, & Apostolica Sedis diligentia apud vos illibata servetur (Ordinatio) & per Sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro pervire, quod suum est in propriis usurpationibus non sinamus.*

8. Sanctus Gregorius Magnus ita Episcoporum non solum jura salva cupiebat, sed & Dignitatem, & honorem, ut se universalem Papam ab Episcopis vocari ægrè ferret, hac præcipuè ratione, quod si universalis ipse diceretur, solus etiam fortassè putaretur. En ipsius verba, humilitatis, tanto viro dignæ, plena in epist. 30. lib. 7. quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *superba appellationis verbum universalem me Papam dicentes imprimere curatis, quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quero prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesia. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Tam altè sanctissimi hujus Pontificis animo impressa erat affectio illa, ut eam non semel signifi-*

scaverit. *Mihi ipsi*, inquit, lib. 2. epist. 37. *Injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbabo.*

9. Si, ut testatur ipsemet Maximus Pontifex, animarum cura est onus Angelicis humeris formidandum, non expedit ei, qui omnes totius Orbis terrarum homines, velut oves Pastori pascendas à Christo ipso sibi traditas, non dubitat, ut alios Pastores impediatur, dum greges sibi specialiter commissos juxta sacrorum Canonum normam custodiant: sed ut illos hortetur, juvet, vel etiam protegat, ac novis favoribus augeat. Debet nihilominus datam sibi à Christo, & ab Ecclesia universa confirmatam, seu publicè, atque solemniter recognitam auctoritatem vindicare, ne ambitiosorum conatibus infringatur, aut enervetur, quod S. ipse Gregorius observabat; *sicut inquit epistolâ 39. lib. 2. nostra defendimus, sic omnibus Ecclesiis sua jura servamus.* Noverat documentum, quod Pastoribus in lib. de cura Pastoralis proposuerat, in usum, dum opus esset redigere; ut scilicet se Superiorem meminisset, & severitatem adhiberet; sed modum servabat, quem etiam ipse præscripsit in eodem lib. de cura Pastoralis parte 2. cap. 6. his verbis; *sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, ut & bonis, in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sub Prioratus agnoscat, &c.*

10. Tanta est in eo præcepto æquitas, ut à nemine negetur. Nam & summi Pontifices se animarum servos esse, non Dominos exemplo Apostolorum arbitrantur. *servos vestros per Christum*, inquit S. Paulus 2. Corint. 4. vers. 5. *servus servorum Dei*, ait Pontifex; undè consequitur cum Episcopis, portiones gregis Christi suæ curæ demandatas rectè administrantibus non invidere, non obstare, sed favere, sed auxiliari debere, quodque illi rectè gerant, sibi in tremendo Dei judicio, profuturum æstimare.

11. Sed Episcopi conqueri sine injuria nequeunt, quod summus Pontifex sibi à Christo præpositus sit: gaudere potius debent tanquam de maximo beneficio, quod, cum ipsi tot animarum constituti sint Pastores, saltem unum supra se Pastorem habeant, qui dormitantes excitet, laborantibus opem ferat, afflictos consoletur, persecutionem patientes

530 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
defendat, onus cum eis portet, rationem cum eis redditurus; imò qui eos errantes revocet, ac etiam reos plectat, ut, & illorum saluti, & gregis eis crediti utilitatibus consulat. Nam, ut monet S. Leo in epist. 84. supracitata; qui scit, se quibusdam esse prapositum, non molestè ferat aliquem sibi esse pralatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.

12. Iniquum esset, ut summorum Pontificum humilitas, ac modestia, minus promptos ad reverentiam, aut obedientiam efficeret. Certè S. Gregorius humillimus, ac mansuetissimus, quamvis juxta proprium præceptum omnibus bonis se præberet æqualem, aliorumque Pastorum honorem, suum duceret, omnium tamen se Superiorem profitebatur, dum id cujusvis culpa exigeret. Nam epist. 65. lib. 7. quæ est ad Joannem Episcopum Syracusanum sic scribit, occasione Episcopi Byzaceni Provinciæ Africae, de crimine accusati; *Quod se dicit Sedi Apostolica subjici, & si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit.*

C A P U T X I I I .

De Jurisdictione Clericorum Episcopis inferiorum.

1. **N**ihil est in sacris Scripturis, quod Archidiaconorum, aliorumve in Ecclesiastica Dignitate constitutorum jurisdictionem indicet à Deo immediatè profectam, sed constat potius hujuscemodi Dignitates ab Ecclesia fuisse institutas. De origine jurisdictionis, quæ potuntur Curati non nihil dubitatur.

2. Plures Doctores Parisienses eos putant septuaginta Discipulis successisse, quos Dominus noster Jesus-Christus misit binos ante se in omnem locum, quo erat ipse venturus, ut habetur apud S. Lucam cap. 10. ideoque illorum institutionem, non solum quantum ad ordinem, sed etiam quantum ad jurisdictionem, ad jus Divinum referentes, illos, sicut potestatem ordinis, ita & potestatem jurisdictionis à Deo immediatè accipere arbitrantur, quamvis Episcopo indigeant tum ut ordinentur, tum ut plebi præficiantur.

3. Ad

3. Addunt jam tempore Apostolorum, non solum Episcopos, ad magnarum urbium regimen constitutos, sed & cæteros Presbyteros, qui minorum locorum curam gererent, qua in politia putant Apostolos non novi aliquid excogitalse, sed Christi præceptum executos fuisse.

4. Equidem S. Hieronymus Presbyterorum Dignitatem ita effert, ut eam Episcopali æquare videatur; qui tamen benignè est interpretandus, ne communi Ecclesiæ sententiæ contradicat, & Arianæ heresi, discrimen inter Episcopos, & Sacerdotes nullum agnoscenti, faveat, de quo Michael Medina eum criminari ausus est. *Sicut Presbyteri sciunt, inquit S. Doctor comment. in epist. ad Tit. se ex Ecclesia consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominica veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.* Sed omnimodam certè noluit æqualitatem inducere inter Episcopos, & inferioris ordinis Presbyteros, quod patet, cum ex aliis ejus libris, præcipuè ex epist. 85. quæ est ad Evagrium, in qua ordinationem Episcopo vindicat, quam denegat Presbytero: & ex epistola 1. quæ est ad Heliodorum, in qua Diaconis tertium dumtaxat gradum assignat, primo Episcopis concesso, secundo Presbyteris relicto: tum ex verbis, quæ immediatè supra relatis adjunguntur; *Imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Licet enim Deus Moysi præceperit, quod Jethro jam consuluerat, ut scilicet sibi septuaginta deligeret adjutores: tamen nemo dubitat, quin Moyses, cui reservatum est majorum causarum judicium, semper ipsis extiterit superior, etiam ex ordinatione Divina.

5. Habet quidem usus Ecclesiæ, ut Presbyteri Curati non reponantur in ordine Judicum tantum delegatorum, quibus & committitur, & aufertur jurisdictio ad libitum delegantis: sed non ita ut illorum jurisdictio dispositioni Dominicæ, non Episcoporum autoritati accepta referenda sit. Longè namque verius est, jurisditionem illam ab Ecclesiastico jure, non à Divino, manasse. Nec enim septuaginta Discipuli à Domino missi, sunt ad plebem aliquam destinati, nec ad omne tempus, sed præmissi tantum Christo in omnem lo-

532 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
cum, quo erat ipse venturus: nec etiam Sacerdotali caracte-
re fuerunt insigniti, vel autoritate populum regendi, Sa-
cramenta ministrandi, vel reliqua efficiendi, quæ Pastoris
sunt propria, sed tantum cohortationibus suis Christo ven-
turo animos preparandi. Apostoli, licet similiter, atque
præstantiori modo, missi fuissent, non tamen ordinem Sa-
cerdotalem adepti sunt, donec (quod de septuaginta Disci-
pulis, quibus Curati successisse dicuntur, nusquam in Evan-
gelio legitur) in ultima cœna potestatem consecrandi, post
resurrectionem, potestatem solvendi & ligandi recepissent.

6. Apostoli quidem, & Episcopi habuerunt Sacerdotes,
quorum operâ in regendo populo Christiano uterentur, non
tamen principio Sacerdotes illos plebi speciali tanquam Pasto-
res ordinarios præponebant ad vitam, adeoque illa deputatio
non ordinationi Divinæ immediatè, sed Ecclesiasticæ poli-
tiæ adscribenda est.

7. Et quoniam jus Divinum in Scripturis habemus, ut su-
pra cum S. Augustino tract. 6. in Joan. notavimus, nullum-
que videmus à Christo Sacerdotem, præter Apostolos, mis-
sum ad regimen animarum, nescio quâ ratione ipsi tribuenda
sit Curatorum constitutio immediata.

8. Hoc sanè certissimum est, jurisdictionem Sacerdotum
jure Divino Episcopali esse subordinatam, & subjectam, ut
luculenter docet S. Thomas opusc. contra impugnantes Reli-
gionem cap. 4. *Potestas Sacerdotis naturaliter, & ex jure Divino subditur
potestati Episcopi, ut Dionysius probat. Sacerdos autem, qui ex jure
Divino Episcopo subditur, in omnibus est ei subjectus. Equum igitur est,
ut Curati aliique Clerici S. Ignatium audiant in epistola ad
Smirneses sic monentem; Omnia vestra decenti ordine persiciantur in
Christo. Laici Diaconis subiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo,
Episcopus Christo, ut ipse Patri.*

9. Consultissimum etiam est, ut Episcopi Curatorum ju-
risdictionem, etiamsi juris Ecclesiastici tantum sit, ita tuean-
tur, ut cum eis, quemadmodum monet S. Hieronymus in
verbis jam relatis, in commune Ecclesiam regant, imitantes Moy-
sen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, &c. eosque
eo loco habeant, quem expriment verba tempore ordinatio-
nis ab Ordinatore proferri solita; *Infirmis nostris quasumus Domine
hæc*

hæc ADIVMENTA largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. sint providi cooperatores Ordinis nostri.

10. Denique servanda est mutua illa concordia, quam præscribit Canon 17. Sardicenis Concilii; sicut ille (Episcopus) Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis; ita quoque vicissim Ministris infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

11. Hæc Episcoporum erga Curatos humanitas ac benignitas, ac vicissim Curatorum, aliorumque jurisdictione Ecclesiasticâ præditorum erga Episcopos reverentia, & obedientia concordiam parient, sine qua multa oriuntur scandala, multæ contentiones, quarum occasione vera libertas Ecclesiæ sæpissimè violatur, interjectis ceu ab abusu appellationibus ad Judices sæculares.

12. Itaque sapientissimum S. Hieronymi consilium est, epistolâ ad Nepotianum; *Illud etiam dico, quod Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos: honorent Clericos, ut & ipsi à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu non me habeam ut Senatorem? Quod Aaron, & filios ejus, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus.*

13. Cæterùm quotidie summus Pontifex beneficia Parochialia in omnibus Ecclesiæ partibus conferens, re ipsâ probat, Curatos jurisdictionem accipere, tunc quidem immediatè ab ipso, alias autem mediante ipsius consensu. Nec cuiquam id dubium esse potest, si etiam Episcopalis jurisdictionis ex eo fonte manare supponatur.

14. Certè cum Christus totum ovile, atque oves omnes, etiam ipsos Apostolos, ut alibi probabimus, B. Petro tanquam supremo Pastori, commiserit; ei que claves Regni Cælorum tanquam supremo dispensatori dederit, debet, quisquis gregis portionem regendam, aut distribuendos gratiæ thesauros suscipit, à Petro suum officium ac claves petere, non propriâ sibi autoritate, aut sine illius saltem consensu usurpare. *Supponitur, inquit Joan. Gerf. de potest. Eccles. cons. 10. insuper ex jam dictis, quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare, vel suscipere gradus Hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare, & perficere, si non interveniat verè, vel interpretativè autoritas summi Hierarchæ vel Monarchæ in Ecclesia sancta Dei, quatenus in ea viteur confusio, & optimo regimine gubernetur ad exemplar Ecclesiæ triumphantis.*